

Sub uesperam potissimum, manè dabis
 Ex oxymelite temperato insigniter,
 Aduersus oris foedum odorem maxime.

Aurelij.

Alumen combustum in lebete æreo & fictili, restinguito uino auffero; ex hoc
 accipito mastiches uncias sex, thuris unciam unam, folij drachmas quatuor, cyperi
 tantundem, & utitor.

Aliud quo utor.

Cornu ceruini cõbusti drachmę duę, marmoris uncia una, origani drach. iij.

De medicamento compositione quod dentes conseruat.

Tragorigani drachmę duę, hyssopi drachmę quatuor, perdicij herba, tyberie
 conspersa melle & sale tenui, ustaq; in lebete ut in carbones redeat, uncia tres, pi-
 peris drachmę quatuor: cõterito cribratoq; hoc, in usum reponito: neq; dolebunt
 dentes, neq; conterentur, neq; gingiuarum carnes sanguinem emittent, neq; excre-
 scent, neq; fluxione tentabuntur: habebis autem os bene redolens, & dentes can-
 didos. Quidam pilos crematos adijciunt medicamento, aut talum. Priuatim enim
 si quis utatur cinere, non dolebit.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE

COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECUNDVM

locos liber sextus, Ioanne Guinterio An-
 dernaco interprete.



ERVS sanè sermo est, qui à plurimis artificibus celebratur, nõ
 equale, neq; simile esse, à uiuã ne uoce discas aliquid, an ex com-
 mentario legas: quanquam industrijs, & natura prudentibus,
 haud uulgaris saepe utilitas prouenit, cū in libros dilucidè con-
 scriptos incidunt. Cum igitur intelligam & ego, primũ certè
 familiaribus, qui etiam ex operibus didicerunt, quantam uim
 rationalis methodus ad medicamentorum facultatem haben-
 dam obtineat, non parum commodi ex hoc prouenturũ opere: cumq; desiderem
 alijs quoq; id obueneri, qui in optimis laborem non detrectant, huius disputatio-
 nis enarrationem institui, non succinctam, neq; compendiosam in ea disciplina,
 sed exporrectam, longioremq; aggrediens, qualem in disputationibus citra scri-
 pturam frequenter ad familiares facere consueui. Differt enim rationalis auxilio
 rum inuentio, ab ea quæ experientia nititur, ut etiam prius iam in neruorum uul-
 neribus à me comprehensum est, generali facultatis medicamentorum cognitio-
 ne, quibus in singulis uti affectibus conuenit. Nam in medicamentis, quæ, quod
 ori adhibentur, stomatica à Græcis dicuntur, quale est quod ex moris conficitur
 celeberrimum, primus curationis modus communis est omnium partium, quæ
 inflammationem experiuntur: deinde alter peculiaris ex ipsa parte quæ curatur,
 petitur. Quæ igitur inflammationẽ experiuntium sit dispositio, cognitũ prius ha-
 bere oportet, si indicationẽ quandam auxiliorũ simus accepturi. Didicimus autẽ
 antea, & demonstratũ habemus, inflammationes ex calidi sanguinis influxu fieri:
 item didicimus id quod influit, per inítia quidem reprimendum repellendumq;
 esse, nisi ad nobilem quampiam particulam recurrat, aliudq; maius aliquod malũ
 excitet. Verum huiusmodi distinctionũ in præsentia usus nullus est: nam ceu me-
 minerimus totum prius corpus preparandũ esse, ut affectus qui in particula qua-
 cumq; consistunt curẽtur, ad institutũ perueniemus. Etenim sanguinis demissione

Rationalis inuen-
 tio, in quo disse-
 rat ab experientia

*Summa curatio-
nis cuiuscunq;
morbi.*

utimur, purgatione, & clysteribus, & inedijs, cum totum corpus apparet plethoricum, aut malis humoribus obnoxium. Quod si neutrum horum fuerit, ad curationem quæ locis adhibetur, statim descendimus. Quomodo igitur ea quæ oris inflammationibus pulchrè medebuntur inuenire oporteat, præfens hic sermo mox te edocebit: item quomodo inuentis decenter utendum sit. Quemadmodum igitur uidi distis me familiaribus medicis, consilium de medicamentis quæ dispositionibus medebuntur petentibus dicere, fieri non posse, ut is qui medicamentum uim qua operando iuuat ignoret, recte eo utatur: ita nimirum in inflammationibus quæ in ore constituuntur, communis omnium ipsarum scopus, si indicationem quæ ex particula natura capitur assumat: inueniet primum sanè medicamentorum genus, quibus uti conuenit, deinde particulares in ipsis differentias, si simplicium medicaminum uires prænoscat, ut iam saepe ostensum est. Itaque genus medicaminum

Repellentium materia, refrigerantium materia cōtineur.

repellentium in inflammationibus incipientibus, materia refrigerantium comprehenditur. Ex his autem ipsis quum duplicia sint, ut didicimus, quæ possunt astringere efficaciorum uim obtinent, qua id quod influit citius repellant. Inest autem ipsis & contrahendi uis densandique corporis, cui admouentur, superficiem. Communis igitur scopus hic est, quo incipientes inflammationes prohibeant ab affectu per indicationem inuentus. Alter autem à particula quæ curatur natura ei accedit, cum sciamus nos oris tunicæ superficiem non paulò cute totum corpus ambiente rariorem esse mollioremque: inesse etiam aliud quiddam oris partibus duplex, quod cutis non habet, nempe medicaminum quæ adducuntur insuauitatem, & subiectos duos meatus, per quos in uentrè & pulmonè ex medicamentis stomaticis aliquid potest defuere, quale est etiam diachalcanthu, id est, ex chalcantho præparatum. Ac quidam medicus neque imprudens neque imperitus facultatum medicamentorum, cum hoc stomatico miscuisset, multo ualentius reddidit: quod nocet admodum cum aliquid ipsius ad stomachum aut fauces defluerit, atque hæc nimirum ipsa etiam per eadem ad uentrem, asperam arteriam, & pulmonè. Inest autem medicamentum in guli u insuauitas, quæ in usu ipsum molestat, & toto die perseverat, ut in esu sit dolorifica. Itaque tam ualidis simul & uim quandam letalem habentibus, uti non conuenit ei qui oris dispositiones curat citra magnam necessitatem. Non enim de inflammationibus solum esse dictum sermonem existimabimus, quoniam neque ex harum indicatione ipsum inuenimus, sed communem esse omnium oris affectuum, qui indicationem à particula natura sortitus est. Hæc igitur considerans is qui medicamentum ex succo sycaminorum composuit, primum sanè ipsum cum melle coxit,

Diamoron.

ut id repositum in promptu per totum annum haberet: non solum eo tempore, quo fructu expresso, succo ipsius uti licet. Præstantior enim solus in inflammatione incipiente existit, ac me frequenter in eiusmodi inflammationibus uti conspexisset: perseverantior, qui seorsim cum melle præparatur. Nominaui autem ipsum perseverantior, non solum quod citra coctionem cum melle repositus citò corrumpatur, ut non amplius nos eo subsequenti tempore uti possimus, sed etiam quod utilior existat ad subsequenti inflammationis tempora, usque ad absolutam curationem. Vt enim per initia medicaminum id quod influit repellentium usus est, ita post initium ad finem usque mixti cuiusdam ex utrisque repulsorio & digerente. Verum primis temporibus id quod astringit præpollere oportet: in fine autem id quod digerit: in medio æqualem horum portionem esse utrorumque. Cum uero reliquæ quædam inflammationis, ueluti in scirrhum indurata remanserint, neutiquam digerenti astringens mixtum esse oportet, si corpus totum non fuerit euacuatum: nec tamen initio astringenti digerens satius est miscere. At qui medicamentum ex sycaminorum succo composuit, exiguum uidetur & croci & myrrhæ ipsi commiscuisse, quæ quidem communem uim inflammationis concoctricem obtinent, propriam autem utrumque: crocus quidem

quidem astringentiam, myrrha autem calefactoriam aded, ut abunde discutiat. Etenim hæc magis quam crocus usque in altum corporis pertingit, subtilis substantiæ compos, atque hinc duplicem utilitatem exhibet, utque simul cum ea mixtorum vires adducat: quæ autem inflammatione tentatur, usque in altum perfanet. Quinetiam mutuo sibi opitulantur & crocus & myrrha, ut in altum pertingant: ille sanè ueluti myrrham impellens, hæc uero manu, ut ita dicam, crocum deducens. Sicut enim crocus substantiam minus subtilem, quam myrrha propter astringentiam obtinet: ita myrrha cum subtiliore habeat, citius quidem uim suam in altum transmittit, celerius autem ad cutem recurrit, ea quæ in alto subtiliata sunt simul educens.

10 Hanc igitur ipsius celeritatem reditus, astringentium misturæ prohibent, & non solus crocus: quippe insunt medicamentum quod dicitur stomaticum diamoron, tum sycaminorum succus non exigue astringentis qualitatis uirtutisque particeps, tum alia quæ admiscentur, quando ualidum quis medicamentum fieri uoluerit. Hæc igitur astringentia deducuntur quidem à myrrha, hanc autem illa simul impellunt, atque sic inuicem auxiliantur, ut uirtus ipsorum longius perueniat. Porro uidiſtis me frequenter medicamento diamoro per initia rhus succum aut uiræ immaturæ, quem proprie uocant omphacium, miscuisse: horum autem penuria, rosarum floræ, aut ipsas aridas, balaustium, mali punici florem, cortices ipsius aridas, gallam immaturam, præterea piceæ corticem & thuris, succum hypocystidos & lentisci: summam omnia astringentia quæ uim corruptricem, quam nominant deleterion, speciem quandam letalium existentem non habent. Didicistis enim non quodlibet letale statim esse etiam deleterion. Quemadmodum uero initio inflammationis, talium mistura ualentiùs efficit medicamentum stomaticum, ita cum fluxus subſtiterit, nullius huiusmodi priuatim usus est: nam abunde tunc est, quod crocum & myrrham ad inflammationem concoquendam assumpserit: ut cum fuerit concocta, miscemus iam & aliquod digerens, sicut subinde me conspexistis nitri spumam iniicere: & interim ipsum quoque nitrum, quod est tenue, ab omnibus iam berenitium appellatum: insuper & sulphur, quod quia ignis expers est, apyron uocatur: nonnunquam & saram, cui incoctum fuerit, nunc origanum, nunc hyslopum, nunc aliud quoddam simile, nempe pulegium, satureia, thymus, calamintha & domestica & syluestris. Ita nimirum ipso diamoron medicamentum recte quis utatur, numero generalium intentionum usum ipsius immutans. Quousque sanè aliquid influit, hoc repellendum est: si id constiterit, concoquentia adhibere, deinde digerentia oportet. Constat enim, quod qui hac utitur methodo, & simplicium medicaminum vires cognoscit, nunquam desiderabit auxilia, siue uenetur in monte, siue aliquod opus in agro administret, siue in itinere quandoque præparata desint medicamina, ut Erasistratus scripsit seipsum curasse, ad rubi succum conuersum, cum in eo loco Andronium medicamentum deesset. Cognoscens enim & ipsum Andronium in astringendo curationis præcipuum obtinere, materiam quæliuit astringentem: non ut Serapionis & Menodoti sectatores aiunt, empirica usus simili transgressione: in hac enim uobis ostendi plurimam succi rubi, dissimilitudinem cum Andronio pastillo existere: paucissimam autem similitudinem in hoc solo quod astringant. Verum qui generalem uim, quam uocant uniuersalem, nouit, in quacumque materia hanc inuenerit, audacter illa utitur. Multa uero copia huiusmodi materiarum habetur, quibus omnibus uti licet, modo eas solum fugiamus, quæ nimis insuauem quandam uim corruptricem occupant. Ita igitur & ego medicamentum ex uiridium nucum succo præparauim, neque conspicatus aliquem præceptorum, neque scriptum inueniens cuius uim expertus sum: multum aliorum stomaticorum facultatem superare. Alia autem dico, tum quod ex moris, tum quod ex batinis conficitur (sic enim nominant rubi fructum) et tertium quod ex musto, quartum quod ex mali punici succo, et quintum quod ex astringentibus malis paratur, quorum optima sunt cotonea,

Crocus &
myrrha.

& struthia appellata, deinde ad propositum usum, quæ cestiana Romanis dicuntur, composita autem ex multis eiusmodi sunt, quæ ex fructibus parantur.

De stomatico diacaryon, hoc est, ex nucibus præparato.

Ego autem cum primum ex Alexandria in patriam reuenterer, in agrum profectus, offendi quendam hortulanum uirum, uera, paristhmij & tonillis suffocari. Vfus autem est collutione mulsæ, in quarosæ fuerant decoctæ. Conspicatus igitur uigentem nucum fructum, iussi exteriori ipsarum cortice detracto, quo etiam tinctores uti uideram, statim contusas in pila, per linteolum succum percolare, igno rans quam haberet crassitudinem, aut tenuitatem. Cum autem deprehendissem ipsum aquosum & substantia tenue, hortulanum iussi ex eo gargarizare: ubi nimum tenuis apparuit, mellis prius decocti momentum admiscui, ut in medicamento diamoroni misceri noueram: cumque ad mellis spissitudinem coxissem, reliqui hortulano utendum. At cum uidissem celerrimum hinc ei subsecutum auxilium, fatius putavi in multis experiri: atque hinc probatione sufficiente uirum medicamentum accepta, perpetuo usum, quemadmodum nouistis. Mirari igitur mihi subiit de prioribus medicis, quod nullus ipsorum succo hoc, & paratu facili & generoso, uti cogitauerit, idque præsertim cum uiderent quomodo manus eorum qui nuces uirides excorticant tinguntur: hinc enim apparet qualisnam ipsarum succus, & quam elui contumax existat astrictione, ut ne generosissimis quidem abstersionibus elui possit. Præterea magis medicos demiratus sum, quod cum tinctores nucum corticibus utentes uiderent, non considerarunt ualidam ipsarum uim existere. Nisi enim alto manu insideret, aut per totam lanarum substantiam immergeretur, haud ægrè posset elui. Cum autem penitus descendat, tenuem succi substantiam esse innuit: maxime uero astrictionem iuuare ratio est, cum in tali continetur substantia. Etenim quæ crassiorum partium sunt, astringentia, contrahendo astrictione, densandoque corporum ipsorum quibus adhærescunt superficiem, usque in altum corporis permeare se ipsa prohibent. Quibus enim etiam alioquin ob substantiæ crassitudinem in altum penetrare non licet, his adhuc minus licet corpore densato, totum id quod inflammatione oblidetur, adiuuare. Præstantissimum igitur succum nucum persuasus, cumque gustassem ipsum cum melle coctum nihil insuauæ obtinere, in quatuor semper portiones diuisi: immitto namque primæ compositioni nonnihil astringens, secundæ myrrham & crocum, tertiæ sulphur uiuum nitrum uel, quartam uero solam seruo sinceram puerisque utilem futuram propter dulcedinem, ac uiris animo solutis, & mulieribus. Ego igitur ratione ductus, sicut neruorum uulnerum curationem, ita hoc quoque medicamentum omnium præstantissimum offendi. Est etenim etiam ex batinis medicamentum ualentius, eo quod moris conficitur: sicut & hoc eo præstat, quod multo paratur. Verum omnibus his præcellit, quod nucum succo constat, in exordijs quidem inflammationum unam cum ijs quæ ualide astringunt, præparatum: in uigore, si croci aliquid aut myrrhæ assumpserit. Quinetiam solum interim mediocres inflammationes medicari potest. Vbi uero digerendum oportet, id quod ex humore inflammationem efficiente fuerit impactum, cum acrium mistura utile existit. Sed forsitan dicet mihi aliquis ex pauperioribus medicis, satis sibi esse si pyxidem unam medicamento possunt replere semel præparato: me autem iubere uel quatuor statim ab initio compositiones ipsius fieri: uel unam repositam habere, quæ ex melle & succo constat, & cum usus poscit adijcere ei usque dum aliquid inflammationi obsessis influit, ualide astringentia: ubi uero cessauerit, concoquentia: cum autem ea quæ influxerunt inanitionem postulant, digerentia. Hoc autem operosum esse & difficile, quibus non est domi simplicium omnium medicaminum facultas: imò neque ad itinera idoneum me apparatus consulere, ubi non licet quatuor uniuscuiusque medicamenti differentias circūportare. Quapropter considerata sunt tum à me, tum à maioribus medica-

menta

menta facultatibus media, quæ & ad profectiorem erunt idonea, & pauperibus medicis utilia. Quæ igitur hæc sint paulò post persequar; nunc autem pauperiorum medicorum querelæ occurrere cogito. Quemadmodum enim ipsi pauperem apparatus laudant, ita oportet etiam diuitibus permittere medicaminum apparatus diuitijs ipsorum dignam comparare: noui enim iam & ipse non solum medicos complures esse pauperes, sed etiã eos qui ab ipsis curantur, quibus uolupte est cum egrotant halicam cum mulsâ assumere, ac purum panem habere, uel aliquam farinam ad cataplasma idoneam; uerum eum qui medicamentorum opus conscripserit, ratio est omnis materiae mentionem facere, ut & opulentioribus ipsis artificiosè uti liceat, & pauperibus, illis solis quorumcunq; copiam habuerint.

De mediocrium medicaminum compositione.

Dicamus igitur iam aliquid de mediocrium medicaminum compositione, ab eo quod diamorò uocatur auspiciati. Commune autem ipsis est ad media mensuram mellis cum succo definire: hæc uero experientia deprehenditur. Nam ubi succum mellis permiscueris gustauerisque, si quidem tibi uideatur mediocriter habere, similiter alia uice ipsa miscebis; si aliquid deesse uideatur, adijcies: ueluti exempli gratia in sycaminorum succo quinta portio mellis si misceatur, media utiq; erit temperatura, ut cocti medicamenti mistura plurimis sanè admodum placeat: pauci uero eam uituperent, hi ut dulcius, illi tanquam austerius. Sicut enim & mulsam nonnulli sanè a quosiorum, nonnulli uero dulciorem libenter bibunt: ita & in medicamentis, alijs alij secundum propriam naturam oblectantur. Cum igitur aliquis tibi medicamentum parari postulauerit, omnino sanè conspexeris me ei qui dulcioribus gaudeat, plus mellis iniicere: illi uero qui contrarijs capitur, minus. Itaq; in medicamentis quæ deuorantur, conijcere oportet maxime naturam eorum quibus afferuntur. Quod enim citra uoluptatem assumptum est, stomachum peruertit. In stomaticis autem eiusmodi exactam diligentiam interdum non licet negligere: proinde media temperatura, quemadmodum dixi, succi cum melle, quintuplū copia succum habeat. Intellige autem me, mentem diligenter adhibens ijs quibus utor uerbis in mutua medicamentorum, quæ miscentur, mensura. Nuper siquidem iussi succum quintuplum esse mellis respectu, nihil interest an etiam mole dixero quintuplum ipsum esse oportere: quomodoq; enim dicatur, metienda sunt medicamina quæ parantur. Cum sanè pondere iussero hoc medicamentum esse quintuplum, per lance pondus ipsorum expendere cōuenit. Quatenus igitur ad succi cum melle mixturam, non necessariū est heminae aut cyathi meminisse: uerum sufficit dicere succum quintuplo mel superare oportere: sin autē huic aliquid à prædictis nuper diuersum misceas, necessarium erit dicere, quantis ipsis mole existentibus, quantum illorum in lance collocatum adijcias: utpote in ipso diamorò, quod in Heræ Cappadocis libro medicamentorum scriptum inuenitur, mellis libra inditur, succi minorum librae sex; admiscet autem ipsis croci drachmam, myrrhæ uero duplicatam: aequalem croco etiam uuae immaturæ succum indit, quod omphacium nominatur: atq; huius rursus dimidiam portionem aluminis scissi. Mihi uero abunde est succum quintuplo melle copiosiorum ipsi iniicere, crocum uero & myrrham æquali pondere, utriusq; sesquidrachmā, ut ex ambobus tres congregentur: omphacium autem & uini austeri hemina unam, si aliquis posuerit, ut Heras censet, recte miscebit drachmam unam. Quod si citra uinum paretur, multo plus ex eo iniici debet: si quidem medium temperatura medicamentum fieri uolueris, unciam unam: si autem austerius, ut ad initia congruat, omnino duas aut tres nonnunquam si misceas non peccaueris. At si omphacium desideretur, in eius uicem rhus succum iniicito: & uolueris æqualem utriusq; partem indere, ne sic quidem peccabis. Heras sanè in medicamenti cōmoderatione hoc quoq; asserit his uerbis: Nonnulli etiã hemina

nam unam vini dulcis, nimirum mustum indicare uolens; etenim uini austeri ma-
 rinae expertis hemina praedixit. Mihi sane non placet, cum mellis quod sufficit in-
 ditum sit, necnon uini austeri hemina adiecta, miscere rursus aliam uini dulcis he-
 minam: erit enim uinosum aded medicamentum. Caterum coquunt hoc diamoron
 medicamentum, aliqui per initia succo sycamino mixto, aliqui uero ubi prius inco-
 xerint. Heras autem uidetur uelle succum solum diutius incoqui. Haec sunt ipsius
 uerba: Mororum succi heminae sex: coquito ut sordium habeat spissitudinem: dein-
 de lauis croci drachma una, aliaque scilicet commemorata. Ego autem censo suc-
 cum solum ipsum per se prius incoquendum, deinde sic mel adijciendum esse: ac
 ubi iam cacabum ab igne sublaturus es, reliqua admiscenda. Caterum Heras simul
 cum melle uidetur, ut alia quoque misceantur, iubere; itaque uinum bona ratione aliquis
 tunc miscuerit: myrrham autem & crocum satius est ad coctionis finem iniicere, eo
 usque cum alijs incoquendo, aut postquam cacabus fuerit depositus, agitando donec
 omnia pulchre in unitatem fuerint coacta: liquidem largior ipsorum coctio medi-
 camentis aromaticis uires adimit. Argenti spuma & plumbago, aliaque multa me-
 tallica, dum coquuntur meliora fiunt: crocus autem & myrrha, atque alia multa aro-
 mata inter coquendum uires abijciunt. Itaque medijs facultate medicamenti commo-
 deratio & coctio, mediocribus inflammationibus maiorum uel statibus conueniens,
 praeterea medicamentum quod in initijs augmentisque ipsorum conuenit, expositum
 est. Porro ad inflammationes indurascens cum iam uigor cessauerit & nihil am-
 plius influit, uenit autem discutiendi tempus, admisceri debent medicamento sto-
 matico nonnulla digerentia, cuiusmodi sunt, nitri spuma, ipsumque molle nitrum, alie
 petrae flos, & sulphur uiuum: sufficit autem praedictae medijs symmetriae commisceri,
 nitri semunciam, sulphuris autem sextantem. At si neque paratum id sic habeas, neque
 adit tibi nitrum, aut sulphur, aut alia petrae flos, organum in sapa feruefactum (uo-
 cant autem saram apud nos omnes hepsema) mixtumque stomachico medicamini,
 colluere iubeto. Sin autem sapa desideretur, mulla, in qua prius organum ferue-
 ceris. Nihil autem refert siue hyssopum organi loco iniicias, siue pulegium, siue thy-
 mum, siue satireiam, aut calamintham, aut odoratam mintham, quam Graeci ue-
 teres a grato odore hedyosmō appellant. In statu autem inflammationum, non modo
 nullum ex huiusmodi medicamentis afferre oportet, sed etiam omnino contrarium;
 raro quidem stomachicis uti medicamentis: collutionibus autem et gargarismatis lenio-
 ribus inflammationem concoquere, quale est ex pinguibus caricis decoctum, & len-
 tiscinum oleum in duplici uase tepidum: imo & ipsum stomachicum medicamen-
 tum in statu gargarizandum dare conuenit, si misceatur mullae aquosae, aut calenti
 sapa: horum penuria, aquae calidae. Praepollere enim tunc oportet curationem mi-
 tigatorem & concoctricem: sicut in declinatione digerentem, quae ex ualentiori-
 bus fit medicaminibus. Meum uero medicamentum, quod ex succo nucum constat,
 omnium sane aliorum esse efficacissimum, re ipsa estis experti. Ad uos enim o fa-
 miliares sermo habetur, quibus potissimum gratificans ad hoc opus scribendum
 descendit. Quod autem id omnium sit emptu paratumque facillimum, nemo ignorat:
 etenim hortulani nucum uiridium cortices reijciunt, cum eas excoriant, ut spor-
 tas grandes gratis liceat nobis implere. Mel igitur solum ceu pauperibus medicis
 (etenim & illis communicare nos oportet quae dicimus) relinquitur, cum penuria
 illius laborant: aliud autem nullum, nisi uolueritis: subinde enim ita paratum me-
 dicamentum nihilo deterius eo quod ex moris fit apparet, in quod crocum & myr-
 rham inieciimus. Verum si alumen ei adijcere cogitemus, non necesse est scissum
 indere: quippe abunde liquidum quoque astringit, quod nonnulli phorimon ap-
 pellant, uilissimi precij, & inuentu in omnibus regionibus facillimum. Vincitur
 autem tenuitate a scisso, atque eo minus proficit. Quinetiam si ipse hortulanus aut
 alius

alius quispiam agricola medicamentum uolet parare, gratis potest etiam mali punici flores siccos, contusos & cribratos iniicere. nominantur sic mala punica primogenea: nam quo tempore arbor florere desinit, fructus ipsius uidetur in mali punici speciem figurari: quod malum ablatum siccatumque, ad nucum fructus tempus seruare licet: etenim in fine ueris cytini, id est, mali granati flores generantur: ubi autem aestas cessauerit, nuces ad absolutionem perueniunt. Quinetiam multi cytini humi decidunt, aut à uento cōquassati, aut etiam alio modo: quos exceptos siccare integrum est, ut ne in hoc quidem pauperes medici aliquid insumere uideantur. Nouistis nimirum & acidis acerbisque malis granatis, quorum uero fructus esui est, cytinis praestare: quare etiam si ipsos arbore decerpseris, aut omnino nullus te prohihebit, aut uilissimum precium postulabit. Balauustum aut dictum, quod omnino esui non est, licet cuilibet colligere, sicut origanum, satureiam, thymum, atque id genus alia. Itaque balauustum si quis crudum contusum cribratumque uolet iniicere, iuxta proportionem quam superius dixi, aequale omphacio, utile reddet medicamentum. Iam & cortices mali granati res sunt ad comparandum facilitam, astringitione insigni praediti, qui commemoratis statim per initia possunt immitteri. Praestantissimum autem fiet medicamentum, si eo tempore mala punica accipiantur, quo nondum quidem adoleuerint, non tamen longe à perfectione ab sunt, sique iniicias succo quamprimum cocto: uerum contundere prius oportet in pila, ut tota ipsorum uis in medicamentum quod conficitur extendatur. Ceterum cum triplices malorum punicorum sint differentiae, nonnulla enim austera sunt, alia acerba, quaedam acida: austera sanè sola si iniicias, medicamentum magis astringens; si dulcia, suauius erit: quemadmodum si acida, uehementius.

Quomodo medicamentum diarrhoeon, hoc est, ex malis granatis, & diamelon, quod est ex malis cotoneis, aliaque stomatica conficiantur.

Ego aequalem uniuscuiusque generis partem miscere consueui: etenim ipsa etiam sola alioquin matura mala punica integra cum corticibus terens, deinde succum exprimens, coquensque cum melle, non modo stomachicum habui medicamentum, sed etiam multis alijs utile, ut postea dicitur. Fitque hic succus trium mali punici specierum, aut generum, aut differentiarum, aut quomodocumque libet appellare, ad omnia utilior. Miscemus etiam rubi fructum, quem nonnulli à stirpe quae graece batos, hoc est, rubus dicitur, denominant, batina nuncupantes. Nonnulli autem composita dictione mora uocant, apponentes, à rubo decerpta: quorum succus similiter ei, quod sycaminis constat praeparatus, praestantius illo medicamentum efficitur: inferius autem eo, quod ex nucibus componitur. Iam uero malorum cotoneorum, pyrorum syluestrium & mespilorum succus similiter praeparatus, stomachicum fit medicamentum, & deglutiri idoneum, cum id quod nucibus constat, hoc non habeat: noxium enim non est ut chalcanthum, haud tamen stomacho accommodum. Verum cuius liquet etiam, quod ex malis granatis fit medicamentum, esse stomacho resolutio et fastidienti idoneum; inferius tamen est eo, quod ex malis confit. Batinorum autem succus si deuoretur innocuus est: quemadmodum & sycaminorum. Verum batinorum, uim quandam stomachum corroborandi habet, cum sycaminorum succus id praestare non possit. Ceterum mel non eadem omnibus succis proportione inditur. Etenim plurimo succus nucum indiget, & cum eis batinorum sycaminorumque: modico autem cotoneorum, granatorum, et pyrorum syluestriū succus. In horum medio mespilorū consistit: item cornorū, brabylorū, et eorum quae pruna apud nos appellantur. Conficiuntur autem apud nos medicamenta stomachica, eodem modo quo initio dixi in moris, in quibus omnibus praeparandi quandam rationem communem hanc explicabo. Vbi succus crassus apparuerit, mel statim miscere conuenit: si autem liquidior fuerit, praecoqui debet.

Recipit id pirorum, cotoneorumq; succus: præterea plurimorum fructuū, æqualem sibi mellis portionem: astringentiū autem insigniter, qualis est corni fructus, interim duplicatam, interim triplicatam. Omnia igitur hæc deglutire, periculo uacat: ubi uero chalcantum mixtum fuerit, non deglutiri debet hoc præparatū medicamentum, nisi in stomacho aut uentriculo ulcerosam fieri dispositionem suspicemur. Quod si in ipso ore maligna ulcera generentur, præstantiora sunt quæ ex chalcantio conficiuntur medicamina. Ceterū drachma sufficit prædictæ compositioni mixta, in qua una mellis libra iniici dicitur: ac plus utiq; nonnunquā iniicitur recte ad ulcera putrida. Singula autem quæ dixi licet nonnunquam etiam musto iniicere, quod ex uuis austeris, quas nō nominant aminæas, fuerit expressum: uerum melius est extremum mustum ad huiusmodi: nam quod initio fluit, liquidius est & aquosius. Porro iniicere oportet ex prædictis medicamentis acerbiora, sicut me subinde conspexistis uel malum granatū, uel balaustium, uel cytinus, uel spingægyptiæ fructum, aut corni, aut aliquid ita astringens miscere. Ceterū rhus maxime idoneus est, siue masculino genere, siue fœminino ipsum uelis nominare. Est autem duplex, alter obsonijs imponitur, stomacho peridoneus, alter coriorū tinctoribus utilis. Vterq; uero musto incoctus stomaticum efficit medicamentum, cui miscere etiam alia tibi licet, eadem proportione, qua medicamento diamoron. Iam citra mellis misturam solum ipsum mustum ad melleam perductum spissitudinem, abiectis ijs quæ indita erant, bonum fit medicamē ad initia, incrementa & status: ad declinationes autem, si tædas pingues admiscueris, uel etiam minutim uasas contractasq; musto cum rhu immittas: ac dein die uno post cocta, usque dum qualitatem suam musto indiderint, tunc eximere illa & abijcere oportet, mustum uero coquere usq; ad idoneam spissitudinē, ut medicamentū fiat quod possit illini. Porro quæ prius ex astringentibus in medicamentum quod ex nucum succo paratur, mitti dixeram, omnia etiam nunc audiuisse credito, musto miscenda. Quod si sumptuosius medicamentū efficere cogites, iniicies etiam casie corticem, aut nardum indicam, aut malabathri folium. Quemadmodū enim pauperibus, ita etiam diuitibus scribere nos medicamenta oportet: eadem uero prædictis medicamentis stomaticis miscentur. At singulorū trium drachma ad tantam medicamenti mensuram abunde est, qua mellis libra immittitur. Nihil autē peccabis si uniuscuiusq; drachmæ partem dimidiam apponas, ut uniuersæ fiant quatuor & semissis. Ad inflammationes indurescentes, quæ efficacius possunt digerere immittuntur, contusa scilicet, & cribro increta. Tempus autem ea iniiciendi non initium est, sed cum omnino ferè coctum fuerit medicamentū: aut etiam absolutè coctum, ut uas humi ponatur. Sunt autem hæc, costus, amomū, & quod uocatur macer: dicitur sic cortex quidam aromaticus, qui ex India affertur, admodum calefaciens et astringens. Iam & liquor cyrenæus ad inflammationes quæ indurantur discutiendas idoneus est: quemadmodū & Medicus, aut aliquis post ipsos. At pauperes iniicient loco sumptuosorum medicaminū digerentium, aut dictamnū, aut acorum, aut meum, aut pyrethrum, aut cardamomi & sinapis æqualem portionem, ita ut moles simplicium trium drachmarū pondere cōpleatur, ad cōmemoratam initio stomaticorū medicaminum cōmoderationem, in quibus erat libra mellis. Quod si nonnunquā quatuor aut quinque drachmarū uoles efficere, id quod ex his absoluitur, magis digerens habiturus es medicamētum: conuenit enim pro portione affectuum augeri etiam & imminui medicaminum uehementiam.

Quomodo paratur medicamentum diagleucu, hoc est, ex musto, in quo etiam diuersa comparatu facilia recensentur.

In medicamine ex musto, in decē musti heminas, tres rhus coriarij heminas iniicimus, aut eius quod obsonijs inspergitur. Cum autē ambo simul induntur, utriusq; heminam

hemina[m] unam & dimidiam, & paulo amplius immittimus: ad portionē autem etiam digerentia ea addemus quorū facultas suppetit. At si unum duntaxat habeamus, aut per initia, si est astringens, aut in fine, si digerens, illius totū immitemus, quod ex omnibus colligebatur. Prædicto itaque ex nucibus, & ei quod ex multo est, omnia immittere licet quæ sermone illorum comprehensa sunt, nempe uel gal lam immaturam, uel surculos mollis rubi uel canini rubi, & corni, cuius etiam fructum diximus oportere immitti, sicut & myrtum, tamaricem, & spinæ ægyptiæ fructum, omniaq; astringentia, præter ea quæ uim medicatam habent, ne deglutita noceant. Omnia autē quomodocunq; parata sint medicamenta stomatica, utilia fiunt, quibusdam proprijs temporibus, si austeriora quidem fuerint, per initia, & uehementes influxus: si mediocria, per statum; si digerentia magis, per declinationem. Quapropter etiam si non confecerimus ipsi aliquid, neq; commoderationem iniectorum uiderimus, sed solum ipsum compositum medicamentū gustauerimus, cognoscemus quomodo sit eo utendum. Horum igitur cum sumus memores, ubi necessitas aliquando inuasit, medicamentis multa experientia probatis destituti, ipsimet medicamentū idoneum ex materia illius loci facili paratu componere poteritis. Non solum autem ad hoc conducit horum meminisse, sed etiam ad aptum inuentorum usum: si enim astrictoriam qualitatem præpollentem in ipsis reperiatis, per initia uti conuenit; si mitigatoriam, laxantem & concoctricem in doloribus & statu inflammationum; si aliquid inflammationis in scirrhum durefcens & solutu contumax relinquitur, in declinationibus: ita uero & intercedentibus temporibus, ea quæ media sunt ex prædictis medicamentis adducetis, digredientes à repulsorijs ad digerentia paulatim: & si unum medicamentū excellens habeatis, exoluetis quidem ipsum mulsæ & aquæ mistura, intendetis autem medicamentis quæ facile cõparantur admixtis. Conquiruntur autem facile ex astringentibus, rosæ, myrtus, lentiscus, rubus, caninus rubus, galla immatura, ægyptiæ spinæ fructus, & omnia alumina. Post hæc facile comparatur rhus obsoniorum & coriarius, & succus qui à Syria exportatur. Hic igitur ipse per se miscetur: rhus autē coriarius & obsoniorum prius aqua decocti, hanc præbent mixturæ utilitatem. Eiusdem generis est glaucium, omphacium, cytini, & balaustia. Ex digerentibus comparatu facilia, mediocria quidem sunt, caricarum decoctum, fursur, mulsæ, cui incoctum sit origanū & hyssopus, aut thymus, aut calamintha, aut pulegium, aut mentha odorata, quam ideo Græci hedyosmon uocant: fortiora autem eaq; amplius cocta, sunt, nitri spuma, aut etiam ipsum combustum: ualentius his est sulphur uiuum.

Stomaticorum medicaminum compositio, inter quæ etiam eius quod diamoron dicitur, confectura est, Hera autore.

Vocantur sanè proprie stomatica, quæ ad uuas, paristhmia, omnesq; oris repentinas inflammationes conueniunt. Cæterum ex materia prius comprehensa componuntur, cuius particulares cõpositiones permultæ à medicis proditæ sunt: ego autem celebrium hic mentionem faciam.

Quomodo medicamentum diamoron Heras composuerit.

Medicamentum diamoron stomaticum efficax ad paristhmia, uuas, aliasq; oris inflammationes, tum si illinatur, tum si ex eo gargarizetur, ut prædictum est. Preparat autem ipsum Heras hoc pacto: Mororū succi heminae sex, usque ad strigmenti crassitudinē coquuntur: deinde admixta læuis croci drachma una, myrrhæ drachmis duabus, omphacij drachma una, aluminis scissi ternis obolis, mellis hemina. Ipse autē Heras ait etiam alio modo ipsum, nempe sic preparari. Croci drachmæ dimidiū, cui iniiciatur passi hemina, & uini marine expertis austeri tantundem; coquuntur usq; ad melleam spissitudinem.

Andromachus de medicamento diamoron, ad uerbum sic scribit.

- » Mororum succi heminae sex, quibus iniiciuntur gallae quinque, dulcis radicle
 » drachmae uiginti, uini chij hemina; insolantur uel coquuntur: deinde ubi spissitu-
 » dinem acceperint, exemptas radices proijcito: gallis autem laeuigatis myrrhae dra-
 » chmam unam misceto, croci drachmam unam, aluminis scissi tantundem, omphacij
 » drachmas duas; nonnulli etiam aluminis drachmas duas ponunt, mellis attici he-
 » minam unam. Constat autem hoc medicamentum magis esse quam praedictum
 » astringens, praesertim si alumen receperit. Etenim gallae & omphaciu admodum
 » astringens id possunt reddere. Quod si alumen fuerit inditum, uires astrictoriae in
 » eo augebuntur. Pulchre uero in confectione mixta est dulcis radicle, quae asperi-
 » tatem mitigat, & hac ratione ex astringentibus asperitatem lenire potest: at loco
 » succi mororum, inditur etiam batinorum succus, alijs quomodocumq; libet apposi-
 » tis, siue ut Heras, siue ut Andromachus tradidit. Porro dictum a me prius est quo-
 » modo licet ipsum uariare simplicium mistura; nec non exposui ex succo nucum
 » alijs similiter inditis, medicamentum posse confici; imò etiam ex mali punici suc-
 » co similiter praeparatur, & solo succo cum melle praeparato, & ijs quae modo dixi-
 » mus superiniectis. Ita uero & rubi fructus cum melle paratus abunde astringens
 » fit medicamentum, sicut etiam ex nucum succo, quemadmodum prius comprehen-
 » sum est. Quin & uaria compositione medicamenta ex malorum granatoru succo
 » medici tradiderunt, sicut & Andromachus hunc in modum.

Stomacicum ex malis granatis.

- » Malorum granatorum dulcium nucleis exemptis partes duae, acidorum pars
 » una; succus in uas aeneum exprimitur congi mensura, deinde percolatum coqui-
 » to super ignem lentu usque ad tertias; sint autem laeuis myrrhae amineae, crocoma-
 » gmatidis, omphacij, iridis illyriceae, singuloru drachmae octo, aluminis drachmae qua-
 » tuor, gallae drachmae octo; his liquore affuso laeuigato coquitoq; ut mellis habeat
 » spissitudinem, deinde in pilam demissa laeuigato, & utitor nunc cum melle, nunc
 » meraco. Hic mel cum succo malorum granatorum non decoquit, sed postquam
 » praeparatum fuerit uti iubet duplici medicamento, interim mero ad inflammatio-
 » nes scilicet, quae astrictionem desiderant: interim cum melle quando etiam digeri
 » postulant. Ceterum mensuram succi congiu esse iubet, hoc est, sextarios sex ro-
 » manos; nam Romae medicatus, in totum urbis huius mensuris utitur. Adijcit aut
 » ipsis myrrhae, crocomagmatidis, gallae, iridis illyriceae, quam illyridem nominare con-
 » sueuit, praeterea etiam omphacij, singulorum quinque unciam unam, nam octo dra-
 » chmae tanti ualent. Aluminis autem scissi semuncia. Deinde Andromachus etiam
 » ex musto stomacicum medicamentum haece uerbis conscripsit.

Andromachi stomacicum ex musto, quo utor.

- » Gallae triginta, rhus choriarij sextarij duo, musti sextarij sex: gallae cotusa cum
 » rhu, per diem & noctem in passo macerantur: deinde incoquuntur, donec quar-
 » ta totius pars relinquatur: colata per linteolum & expressa agitatur in olla, donec
 » mellea fiat spissitudo, deinde laeuis adijciuntur, aluminis scissi drachma una, croci
 » drachma una, myrrhae tantundem: comixta reponuntur in usum. Nihil de musto
 » indicauit ex quali ipsum uua capiendum sit, utrum ex illa quae austeru uinum ge-
 » nerat, an quae dulce, an quae mediū. Nos igitur scire conuenit medicamentu quod
 » ex musto praeparatu est, lenius & mediocre & minus efficax fore. In quibus autē
 » astrictione utendum est uehementiori, medicamentu quod ex uino austero con-
 » fectum est, uehementius quidem astringit, sed mitigare non potest. Quod autem
 » ex mediouino paratum est, mediam obtinere uim constat.

Critonis stomacice ex malis granatis.

Crito medicamentu ex mali granati succo hoc pacto ad uerbu scripsit. Stoma-
 » tice

tice ex malis granatis ad ulcera & pustulas oris, quas aphthas appellant. Malorū »
 granatorum dulcium succi heminas sex coquito in uase creto ad tertias: deinde læ- »
 uis cinamomi drachmā unam, calicæ drachmam unam, myrrhæ drachmā unam, »
 omphacij obolos tres, croci tantundem, nardi indicæ obolos tres: his admisceto »
 mellis heminā, atq; sic adiecto succo lento igne coquito, agitans dum in spissitudi- »
 nem coëat, & utitor. Iam uero tradit aliam medicamentū ex malis granatis com- »
 positionem his uerbis: Malorum granatorum dulcium cum corticibus ustorum »
 & expressorum sextarij sex, mellis boni sextarius unus: coniecta in ollam coquun- »
 tur donec mellis habeant spissitudinem: deinde aluminis scissi uncia, myrrhæ se- »
 10 muncia; læuigata iniiciuntur, mixtaq; usui reponuntur. Hoc nimirū medicamen- »
 tum astringens magis quàm superius Crito tradidit. Ridelicet igitur nonnulli faci- »
 unt qui interrogant utrum ipsorum altero sit præstantius, quippe utrunq; suo »
 tempore altero præstat. Ad ea sanè quæ uehementiorem astringentem desiderant, »
 hoc secundum: ad ea uero quæ digestionem, prius, præsertim quia & cinamomū »
 medicamen digerens ipsi indiderit. Insuper medicamentū ex musto Crito in eum »
 modum prodidit. Stomaticæ ex musto, facit ad aurium & sedis uitia. Musti sexta- »
 rios sex usq; ad duos coquito, deinde rhus coriarij drachmis quatuor (alij duabus) »
 gallarum drachmis quatuor (alij gallis triginta) croci drachmis duabus (alij dra- »
 chma una) aluminis scissi drachmis duabus (nonnulli myrrhæ drachma una) mel- »
 20 lis sextario uno: mixtis utitor. Multa alia quoq; medicamenta ex prædictis succis »
 pleriq; medici conscripserunt, ponderibus ac mensuris euariata, dum alij quidem »
 omnia prædicta iniiciunt, nonnulli etiam adimunt alijs aliud, atq; hi plus, illi mi- »
 minus indunt: in quibus, ut dixi, considerandum uenit, quod copiosius inlit, utrum »
 astringens & repellens: an quod lenit & concoquit, an quod digerit: ita nanq; lice- »
 bit probè ipsis uti. Quapropter etiam omittam particulares scriptorum differen- »
 tias, ad alia medicamenta digressurus, quæ sine cōmemoratis succis præparantur.

Stomatica que sine succis ex aceto et gallis componuntur.

Stomaticum medicamentū et Andromachus & Crito eadem cōmoderatione »
 tradiderunt: quare abunde erit scripturā Andromachi apponere, quæ ad uerbum »
 ita sonat: Stomaticū Aristoclis ad anginas & reliqua oris uitia: hac usus est etiam »
 30 Antipater. Gallæ numero triginta, aceti albi sesquicyathus (alij cyathos nouem »
 ponunt) myrrhæ drachmæ octo, nardi indicæ drachma una, rhus obsoniorū cya- »
 thus unus (alij cyathos nouem ponunt) aluminis scissi drachmā unam, piperis al- »
 bi grana triginta, mellis attici cyathos duos (alij sesquicyathū scribūt) gallæ aceto »
 coquuntur donec tenerefcant, læuigatæ mellis miscentur in usum: quidā etiam man- »
 dragoræ seminis uncia unam addunt. Hæc quidem Andromachus tradidit. For- »
 san dubitauerit aliquis, cur cum aceti sesquicyathū posuerit, adscriplit, alij cyathos »
 nouē: nam mensura alterā mensurā multū superat: quemadmodū rursus cū dicit, »
 rhus obsoniorū cyathus unus, alij cyathos nouē. Cū igitur seorsim utrunq; exami- »
 40 namus, dubitationē præbet: si uero inuicē coniungātur, congruè scriptū est. Si em̄ »
 cyathos nouē aceti iniiciamus, rhus quoq; obsoniorū eosdē nouē indemus: sin autē »
 sesquicyathū aceti, sufficet etiam sesquicyathus rhus obsoniorū, ut in medicamen- »
 to quod plus aceti recipit, amplior fiat coctio: in quo autē minus aceti est, minor. »
 Verū præstat multo amplior, hac em̄ gallæ emollescent. Cæterū quod generosum »
 sit medicamentū ex cōtrarijs compositū, omnibus constat. Etenim gallæ, acetū, et »
 rhus magis astringēt, repellentq; uehementē, piper maxime digerit, nardus mixtæ »
 facultatis est, myrrha digerit quidem, sed citra rosionem, & lenit, & concoquit. »
 Mel digerendi uim obtinet, sed ita, ut os non rodat, quanquā oculis mordax perci- »
 pitur. De aceti facultate iam sæpe uerba fecimus, quod incidat, digerat et repellat. »
 Adiectum autē est in scriptura album, ut tenuiū sit partium; nonnulli aceti cyathos

quinq; & totidem rhus immittunt, in medio ordine consistentes eorum qui plurimum immittunt, et eorum qui paucissimum utriusq;. Liqueat igitur medium illorum facultate medicamentum eos parare, quemadmodum etiam symmetria,

Stomaticæ, diabefasæ, hoc est, ex ruta sylvestri, quæ illini posuit. Celebre est & hoc medicamentum, ab Andromacho ad uerbum ita scriptum.

» Stomaticum diabefasæ ad anginas et desperata efficax, quo utor. Anisi feminis,
 » apij feminis, ammeos feminis, iunci odorati floris, aluminis scissilis, iridis illyrica,
 » befasæ, quod nonnulli harmala uocant: est autem ruta sylvestris: cinamomi, myrrhæ
 » troglodytidos, aristolochiæ longæ, singulorum uncia, costi, hirundinum cineris re-
 » centis, singulorum uncia tres, croci sesquuncia, nardi indicæ, amomi, singulorum
 » semuncia, gallæ octo: læuibus cum melle utitor: ubi usus postulauerit, melle dilui-
 » to. Hoc ipsum medicamentum Heras quoque ferè totum eodem modo conscri-
 » psit: solas enim rosas immutauit, qui non ipsas, sed florem ipsarum potius maluerit,
 » & ad finem adiciat: nonnulli etiam casia rubentis unciam unam immittunt.
 » Porrò de hirundinibus ambo obscure scripserunt, et si alij manifestò, quamquam
 » inter se dissentiant. Alij siquidem nidum comburere præcipiunt ex stercorebus hi-
 » rundinum potissimum compositum: alij ipsas hirundines: alij pullos ipsarum.
 » Hi autem obscurius scripserunt. Andromachus sanè hirundinum cineris recētis
 » tradidit, sed adiectum esse oportebat combustarum: tale enim, nomine cineris si-
 » gnificatur, nisi fortè nidum læuigare iubeat. Heras, hirundinum cineris, neq; ipse
 » adiciens, combustarum. Fortè igitur neuter uult hirundinum stercus comburi,
 » sicut alij cupiunt. In quibusdam uero exemplaribus ita per scriptum inuenitur:
 » Hirundinum tenerarum uncia una: quemadmodum in alijs, hirundinum, quæ à
 » trabibus nidos suspendunt. Cæterum constat omnibus medicamentum esse acre
 » & digerens hirundinum stercus, sicut & alia uniuersa omnium animalium, alia
 » magis, alia minus sunt, quemadmodum & ipsorum animalium combustorum
 » cinis. Diximus autem de befasæ in opere de simplicibus medicamentis, tertij esse
 » ipsum calefacientium ordinis, ac nunc ceu tale commixtum est proposito medica-
 » mento, quod plurimum digerendi facultatis obtinet, sicuti alia nonnulla stomati-
 » ca, * digerentem repellentemq;. Etenim comprehensa medicamina ualidissime di-
 » gerunt, & præterea cinamomū supra omnia uim tenuem digerentemq; possidet,
 » deinde etiā semina anisi, apij & ammeos digerunt: adhuc iris, aristolochia, digeren-
 » tium numero comprehenduntur, sicut & myrrha. Mixtam uim representat, tum
 » digerentem, tum astringentem, casia, crocus, nardus, amomus, & costus: præcellit
 » autem in ipsis calefactoria & digerens, præsertim in costo. Iam iunci odorati flos
 » mixtæ uirtutis est, sed utrobique imbecillis astringendo & calefaceindo. Gallæ autem,
 » nimirum immaturas dico, astringentia admodum sunt medicamina, ueluti et alu-
 » men scissile: rosæ è contrario astringentem habent imbecillimam. Itaque propositum
 » in oratione stomaticum, contrarijs facultate constat medicamentis particularibus,
 » & non solum contrarijs, sed ualidis quoque utrisque, et ueluti antea dixi, multo ualen-
 » tioribus ijs quæ digerunt, quam ijs quæ astringunt. Quoniam uero confectionem
 » ipsius Heras clarè exposuit, idcirco etiam illius seriem communem ascribam, quæ
 » hoc pacto sonat.

Hera stomaticæ diabefasæ.

» Stomaticæ anginis, inflammationibus paristhmiorum, & ulceribus oris efficax:
 » conuenit etiam stomachicis & dysentericis, si ex frigida instar fabæ exhibeatur:
 » iam arteriæ aspretudini bene facit, & dolorem sopit. Anisi, ammeos, apij feminis,
 » singulorum uncia, costi sesquuncia, iunci odorati floris, casia, iris illyrica, aluminis
 » scissi, singulorum uncia, gallæ immaturæ magnitudine mediocris octo, crocoma-
 » gmatidis uncia * una, croci sesquuncia, myrrhæ semuncia, rosarum floris unc. duas,
 » aristolochiæ

*Vetus legit, sty-
 pticam, hoc est,
 astringentem.*

*Vetus habet,
 uncias duas.*

aristolochiæ longæ, bēfafa, hoc est, rutæ syluestris seminis, cinamomi, singulorum »
uncia, spicæ nardi sesquuncia, uuæ, amomi, semuncia (quidā & casæ rufæ unciam »
unam ponunt) cineris hirundinum uncia: myrrham cum melle læuigato, reliqua »
omnia contusa incretaq; in pilam mittito, & permixta, pistillo agitato myrrham, »
cum melle modico, ut medicamentum melle crassius reddatur: cum usus exigi, di- »
lutum melle illinito, datoq; gargarizandū ex aqua, aut hydromelite, aut cremore »
ptisanæ: cæterum stanneo uase reponito. »

Aliud diachelidonon, hoc est, ex hirundinibus sine ruta syluestri: stomaticum quod illini
possit, autore Asclepiade, cuius uerba hæc sunt.

10 *Aliud: facit etiam synanchicis. Hirundinū syluestrium ustarū cineris drachmæ* »
quatuor, croci drachma una, nardi indicæ tantundem: melle excipito: mistura ad »
subiectas dispositiones ualet. Hirundines hoc pacto comburi debēt: sale consper- »
gentes pullos unā cum pennis in uas fictile conijcimus, idq; obstructū prunis im- »
ponimus. Gratia habenda est Asclepiadi, qui tam manifestò scripserit, quomodo »
pullos hirundinum comburi iubeat, quodq; animalia ipsa & non stercus ad medi- »
camenti compositionem præparanda censeat. Scripsit & Andromachus stomati- »
cum ex hirundinibus medicamentum, in hæc uerba.

Medicamentum diachelidonon ad anginas, ut Harpocras.

Hirundinum combustorum pullorum undecim, mellis cyathus unus (alij cya-* »
 0 *thos duos ponunt) myrti uiridis succi cyathus unus (alij cyathos duos) myrrhæ* »
oboli tres: pullis combustis omnia misceto, & læuigatis utitor. Hic quoq; manife- »
stò pullos comburi iubet. Hæc duo prius cōmemorata ex hirundinibus constant »
sine ruta syluestri. Reliqua uero antea duo stomatica & ex hirundinibus & ruta »
syluestri præparantur. Tertium aliud par est medicamentorum congenerum, in »
quo sine hirundinibus, quæ ruta syluestri constant, præparantur.

Forte deest,
cinis.

Aliud stomaticum quod illini possit, Andromacho autore.

30 *Satius esse puto ne alia quidem relinquere, quæ medicamentorum experientia*
studiosi commendant: sed hic ascribere, præsertim cum multorum etiam ipsi ex-
perientiam habeamus, partim nostro usu, partim illorum qui nobiscum medici-
nam exercent: incipiam autem ab ijs quæ Andromachus conscripsit, ita ipsa com-
ponens, ut ille tradidit.

Ad uuas laxatas.

40 *Mellis libram unam, aluminis liquidī libram unam, rosarum floris selibram, hy-* »
pocystidis succi uncias tres: alumen melli incoquito, deinde arida, ac sic utitor: co- »
quito autem paulatim. Medicamētum hoc uerè bonum est, ac tribus modis eo uti »
oportet, quemadmodum me plurimis stomaticis medicamentis utentem conspe- »
xistis. Vnus siquidem modus utendi est, præsertim per initia, dissoluendo medica-
mentum, aut ex aqua calida, aut hydromelite, hoc est, mulsa, & dare ad colluendū:
 & merouti medicamento, partim digitis illinendo, partim cochleari attingendo
 apprimendoq; & intrepide uuulam foras educere. Confert enim quammaxime
 ut ad linguam ipsam repat, abscedens à rectitudine, quam ut plurimum ad gut-
 tur obtinet.

Alia stomaticæ eiusdem Andromachi ad omnia oris uicia.

Crocomagmatis drachmæ duæ, iridis drachmæ quatuor, sandarachæ drachma »
semis, hoc est, oboli tres, terebinthinæ drachmæ duæ, lycij indici drachma una, uuæ »
passiæ drachmæ octo, aloë drachma una, omphacij tantundem, nucleorum pini »
torrefactorum tantundem, dulcis succi drachma una, aluminis scissi, balauftij, lin- »
gularum drachma una, rosarum floris drachmæ duæ, mellis hemina duæ semis: »
 in quibusdam uero exemplaribus scriptum est, hemina una semis. Ipse quidē An- »

dromachus ita tradidit, quomodo mel misceri conueniat, crudum ne an coctum, an solum despumatum: ego despumatum censeo miscendum. Iam alia stomatica quæ illini possunt omnia bona tradidit Andromachus, eoque mihi fatius uisum est non ea omittere, sed omnia ordine, quo ille posuit, subscribere.

Stomaticæ quæ uis se dixit.

- Decst**
aliquid.
- » Rosarum floris drachmæ duæ, baccharum piceæ drachma una, croci tantundem:
» melle excipiuntur. *Alia, & hac usum se esse ait.* Iridis illyricæ drachmæ octo, croci tan-
» tundem (alij drachmas quatuor ponunt) rosarum floris * cum melle. *Alia. Mi-*
» syos cyprii drachmæ octo, iridis illyricæ drachmæ quatuor, myrrhæ drach. octo,
» croci drachma una; cum melle. *Alia odorata tenera, ad inflamationes & crustas efficax.* Nuclei
» pini drachmæ tres, amyli drachmæ duæ, aluminis scissi drachma una, rosarum flo-
» ris tantundem, croci tres oboli: cum melle. Hæc ex Cratippi Narthece esse dicit.
» *Aliud stomaticum, Menecratis.* Croci drachmæ quatuor, balaustij drachmæ tres, rosarum
» floris drachma una (alij drachmam semissem ponunt) ericæ feminis drachma una,
» malabathri drachma una, nardi indicæ drachma una, nuclei pini uiginti: mel addi-
» tur. *Aliud, quod ex scriptis Meliti esse dicit.* Rhus rubri drachmæ duæ, rosarum floris dra-
» chma una, costi, croci, utriusque tres oboli: cum melle. Hoc etiam gargarizandum
» cum passo aut mulsa dicit: haud scio quomodo hoc ascripserit, ex omnibus enim
» gargarizari possumus. *Aliud stomaticum, quod & ipse commendat.* Iunci odorati floris,
» myrrhæ, croci, casia, aluminis scissi, iridis illyricæ, singulorum drachmæ quatuor, nar-
» di indicæ drachma una: cum melle cocto assumuntur. Hic igitur adiecit, cocto: in
» superioribus simpliciter dixit, melle: concedens nobis quomodo cūque uelimus pa-
» rare: ego autem, uti dixi, despumato utor.

Alia quæ illini possunt stomatica, autore Asclepiade, ut subscriptum est.

- » Stomatica quæ illini possunt, ad oris putredines, Asclepiadis. Rhus rubri dra-
» chmæ quatuor, acaciæ drachma una, medullæ drachmæ quatuor, uino pramnio
» dissoluta, melle cocto excipito, & utitor illinēs. Haud noui quomodo omiserit as-
» scribere medullæ, utrum ceruinæ aut uitulinæ iniici uelit: quoniam igitur non ap-
» posuit, tutius est ceruinā immittere. Validum enim medicamentū esse uult, ac me-
» dulla ceruina ualentior uitulina existit. *Aliud.* Hypocystidis succi drachmæ duæ,
» balaustij drachma una, lycij drachma una, acaciæ tantundem: oliuæ immaturæ suc-
» co excipito, & in melle conspersis utitor.

Quæ illinantur stomatica, ijs qui a græ medicamentosas qualitates ferunt idonea.

Quid opus est dicere de mulieribus, præsertim opulentis, quod præ delicijs medi-
camentosa stomatica difficulter ferunt: iam uero & uiri nonnulli, non solum præ
delicijs, sed malo natura stomacho præditi, huiusmodi medicamenta non tolerant.
Quinetiam cum subinde in stomachum influxerint, non solum insuauia, sed etiam
nocua sunt. Mitissima igitur ipsorum crocum recipiunt, myrrham & alumen: fa-
tius igitur est nonnulla stomatica sine his præparata habere. In moderatis sanè in-
flammationibus, aut paristhmiorum, aut uuæ, aut alterius cuiusdam partis, soli
succu prædictorum nuper fructuum sufficiunt, ruborum & mororum, ipsaque ma-
la punica, & cotonea. Quinetiam nucum succus, ubi cum melle solum fuerit, gy-
stum peculiarem repræsentat: ac mustum ex uuis acerbioribus expressum, unde
uinum amineum conficitur, rhu in id iniecto. Hoc ut præscripsit præstantissimum
fit medicamentum, si coctum fuerit in modum iam dictum. Quod si inflammatio
nes magis astringi desiderent, stomatica eiusmodi quæ illini possunt cõposui. Malo-
rum granatorum austerorum succum, aut cotoneorum austerorum, aut etiam amborum,
secundum prius dictam proportionem melli miscui, ac abunde erat. At fycamino-
rum succus imbecille est medicamentum, sed huius & commemoratorum, medius est
astrictione ruborum succus: nihilo aut minus efficax est etiã qui ex nucum corticibus
exprimitur,

exprimitur, et si gustu non sit acerbus. Licet autē singulis his uvas immaturas expressas immiscere. Quod si uehementius uoles efficere, pari mensura: sin autē non omnino, dimidiam. Vehementissimus ipso est, si ex malis granatis integris contulis cum corticibus exprimas succum, magisq; si fuerint acerba. Præterea acerbissimum inter hæc erit, si malorum punicorū austerorū succo omphaciū admisceat, unā cum mellis modico: præstiterit si mala punica integra contusa passo incocta percolaueris. Licebit autē tibi medicamentū ex solis dulcibus malis punicis præparanti, quemadmodum imbecillius, ita suauius efficere, magisq; si ex solo succo sine malicorijs ipsum componas. Ego uero subinde miscui tria malorum punicorum genera, austerorum, acidorum, & dukium. Ne autē ualde exasperet, glycyrrhizæ succum miscens medicamentum reddes præstantissimū: item ex fructibus tempestiuis generatū, ipsum per se solum optimū est remediū, siue ex eo gargarizari, siue oris inflammationes illini uelis. Est hoc partim austerius, partim moderatius astrictione, ac dicitur de eius cōpositione paulò postea. Quoniā uero non solū repellens uos habere medicamentū oportet, sed etiam digerens si in scirrhum durefcere aliquid appareat, hoc pacto ipsum parabis: medijs facultate prædictorū aliquid iniicias cū coquuntur, pulegiū, aut thymū, aut origanū, aut hyllopū, aut menthā, aut calamintham, deinde ubi percolaueris, optimū habebis medicamentū. Quod si calidius esse uoles, piper iniicere oportet. Præparauī autem nonnuncq; & sine pulegio aut thymo, aut aliquo huiusmodi, id quod ex succis cōparatur, solo ei pipere adiecto. Verum omnibus ipsis glycyrrhizæ succum miscens, præstantius efficies medicamentum: si diuitibus pares, etiam amomi aliquid miscebis: quantitas horum eadem tibi erit cum ijs quæ crocum, alumen, & myrrham recipiunt, ut prius comprehensum est. Nam illorum uice, amomū adhibebis. Mastichen autē chiam nonnuncq; iniici, postquā percolassē nimirū, & incocta huiusmodi iam exemissem.

De crustis os infestantibus.

In humidis calidisq; corporis regionibus, quale os existit, putredo statim oboritur, ex quacuncq; causa exulcerari contigerit. Confert huc etiam quod nullū medicamentū possit perpetuū, ut in alijs ulceribus adhærere, siquidem omnia eluuntur à salua: quapropter etiam ualidissimis medicamentis subinde in ipsis uti cogimur. Validissima sunt, quæ crustam similiter ferris candentibus excitat. In exterioribus igitur, cum particula quæ curatur crustam acceperit, à ualidis digredimur medicamentis, ad ea quæ crustas auferunt uenientes: quæ quod absterforiæ qualitatis, facultatisq; sunt, nemo ignorat. In oris autē utriusq; propter loci naturam tutum mihi esse uideatur absterforijs medicamentis nonnulla ualida miscere, quæ seorsim applicata crustas excitant. Propter hanc igitur causam mellī maxime abstergenti miscemus medicamina quæ crustas efficiunt; quemadmodū in sordidis ulceribus cutem infestantibus diximus admiscenda esse mellī quæ modicè abstergūt, thus, eruum, irim, aristolochiam, atq; id genus alia: eadem ratione cōtraria apponentes, quemadmodum Hippocrates dixerit. Nam in utrisq; ratio una est, ut mediocriter ad dispositionem habeat medicamentū absterforiū, quod offertur. Habebis autē cōmoderatum, si mel sordibus ulcerū imbecillibus absterforijs admisceas: in quibus autem propter loci naturam recidiua putredinis timetur, ualentius aliquod assumito. Bona igitur ratione, arida medicamenta, quibus crustas excitamus, mellī miscuerūt. Quæ igitur huiusmodi medicamenta sint, superius ubi ad oris nomas scriptū est, comprehendi. Hæc etiam ipsa ad crustas cōuenire dicebam, melle ipsis mixto: ac nunc deinde omnia conscribam, quamuis quædam iterum dici uideantur. Itaq; ab Andromacho prodita paulò antea, reuocare me in memoriā oportet, solum in quibus docuit nonnulla ad oris nomas medicamenta. Apponam autē solum ipsarum initia: unum itaq; medicamentum hoc pacto scripsit.

Andromachi stomaticum, odorum tenerumq; ad inflammationes & crustas efficax.

- » Cōposuit ipsum ex nucleo oliuę, amylo, alumine scisso, rosarū flore et croco melli
» admixto. *Aliud tale tradidit.* Pastillus ad oris dispositiones, crustas, nomas, quo ipse est
» melle usus est: aliaq; omnia ad nomas ab eo prodita, etiā crustis cōueniūt cū melle,

Quę Crito tradidit ad crustas, ad uerbum ita habent.

- » Misy crudum protinus tollit (in alio habetur cum melle tostum) ad oris autem
» crustas aquato et modico utitor. Misyos tosti drachmis tribus, mellis boni cyathis
» sex utitor: similiter facit & chalcitis tosta cum melle, ut sordium sit spissitudo.

Archigenes de ipsis ad hunc modum scripsit.

- » Crustis peculiariter conuenit stercus caninum, cum melle illitum: aut chalcanti-
» thum operculo purpurę marinę inuolutum comburito, deinde læuigatum cum
» melle illinito: aut picem liquidā, cum pari melle momento cedrini liquoris admixto
» utitor: aut rhus coriariū abunde in aqua maceratū usq; ad sordium spissitudinē co-
» ctum, melli misceto & utitor. Idem facit syriacus liquor cum melle: aut hirundinū
» combustarū et humani stercoreis equalem partē, cum melle illinito: aut lupi iecoris
» sicci cochlearia duo læuigata potui exhibeto. Horum medicamentorū aliaquidē
» omnia cōmendo: quod autē ex rhu paratur astringenti facultate predictū damno, ut
» quę crustis nequaquā conueniat: de lupi iecore non habeo quod dicam. Nam ad
» iecorarias dispositiones noui ipsum medicamentū potari per se, & misceri ei quod
» eupatorio constat. An uero ad oris crustas potum cōducatur, secundū aliquā totius
» substantię proprietatē, experientia probare solum oportet, de qua nihil possum
» pronunciare, ut qui eo in talibus non sim usus. Caninū stercus, cum canes ossa uo-
» rauerint, optimū in omnibus existit, & tanquā strenuē adiuuans, & quod nullam
» ei cui adhibetur insuauitatē repręsentet. Humanū tanquam abominabile semper
» repudiaui: usus igitur eo aliquis est, qui non ædere nomen suum, sed latere conatus
» sit. Accipiebat autē non quodlibet, sed pueris plurimū alimentū, panē cum legumi-
» nibus quę uocantur lupini, exhibebat, atq; ita siccans, habebat repositum ad quę-
» cunq; uti uellet. Iam Musa plurimum usus est primus stercore canino, album sem-
» per deligens: scribit itaq; in proposito affectu ad eum modum, similiter eodē ster-
» core canino albo utens: quinetiam hæc ad uerbum ipse Musa tradidit.

Musa ad anginam.

- » Ad anginā, caninum stercus album siccato, læuigatumq; cribro medicinali in-
» cernito: habeto autē paratū in lance: cum usus poscit, melle subigito, atq; tunc per-
» linito ut combibat. Cum hæc Musa scripserit, æquum est ab eo testimoniū sumere:
» ualentius enim hoc medicamine nullum nouimus: neq; in anginis, neq; in magna
» parisi huiusmodi inflammatione, aut tonsillarū aded ut suffocationis sit periculum.

Sorani.

- » Item medicamenta à Sorano prodita, experti sumus efficacia: in hæc uerba scri-
» psit. Chalcitidis tostę, mellis attici quod satis est: chalcitidē terito cum melle ut for-
» dium capiat spissitudinē & utitor. *Aliud ad crustas faciens, item ad putrida & fœtida.* Misyos
» combusti drachmę octo, iridis illyricę drachmę quatuor, croci drachma: hæc læ-
» uia facta mixtaq; lignea pyxide reponito, & utitor priuatim uel cum melle: quin-
» etiam post hæc, ordine sic scripsit.

Aliud medicamentum Anthera ad similia faciens.

- » Iridis illyricę, sandarachę, cyperi, singulorū drach. quatuor, aluminis scissi, croci,
» crocomagmatis, singulorū drach. duę: his læuigatis mixtisq; utitor: nōnulli etiā
» rosarum floris & gallę, singulorū drachmas duas adiiciunt: utitor ad putredines
» & gingiuas abscedentes cruentasq; arido utitor: ad crustas autem cum melle.

Quę Heraclides Tarentinus ad oris crustas prodiderit.

- » Heraclides Tarentinus in commentarijs ad Antiochidem ad uerbum sic scri-
» psit:

psit de oris putredinibus: bene facit etiã anthera attactu. Quod si contumacior fuerit putredo, hæc medicina recte accommodatur: Bdellij usti partes tres, arsenici pars una: læuibus mixtis utitor, & super linamentum carptum rosaceo intinctum, expressumq; imposito: nonnulli bdellij partes octo iniiciunt.

Aliud ad ualidas putredines, & aliarum corporis partium.

Chalcitidis pars una, lixiuij, calcis uiuæ, æquales partes, arsenici pars semis: mixtis læuibus utitor.

Aliud ad oris putredines, & gingiuas in abscessum uenientes.

Rosarum floris drachmæ quatuor, aluminis scissi drachmæ duæ, gallæ tantundem, myrrhæ drachma una: læuigatis melliq; mixtis utitor. Verum ad ulcera leuiter crustosa iniicito aluminis drachmas quatuor, gallarum drachmam unam, myrrhæ tres obolos. *Aliud.* Aceti acerrimi heminã unam: tantum salis iniicito, ut non colliquescat, deinde coquito usq; dum inaruerit. cum ex hoc fumis, aceti cyathum unum apponito, datoq; ore continendum diutius: deinde iterũ hoc facito ter quaterue die, ad ea quæ subiacent respiciens. In pueris autem specillo lana inuoluto locum attingens ita figuratum, ne ipsum cõbibat. Nonnulli arido sale utuntur cum aceto trito siccatoq;: facit & alumen rotundum æquali portione & sory: uerum locus decocto lenticulæ mellis momento addito collui debet, aut rosarũ diluto cum melle. Quod si putredo nõ coerceatur, urere iubeto ambientes locos ferro candenti iniecto, quousq; nullus humor defluat, & locus uideatur euictus: post hæc ex prædictis colluere, & anthera facultate uti ex melle conuenit, donec crustæ ruptæ decident, atq; tunc melle utitor.

Aliud odoratum tenerum ad inflammationes & crustas.

Nuclei oliuæ drachmæ tres, amyli drach. duæ, aluminis scissi drach. tres, rosarũ floris tantundẽ, croci oboli tres, cum melle: hoc ex Cratippi Narthece esse scribit.

De gargarone.

Carnosa quædam particula in summa oris parte suspensa apparet, si quis toto ore latissime adaperto, linguã deprimat. Hæc caruncula duobus nominibus à ueteribus Græcis nominat, gargareo et columna: his posteriores medici propè omnes non ita, sed columellam ipsam nominant. Nam eorum qui uuam uocitant, fatius est nullo pacto meminisse: non enim particulam, sed unum aliquem ipsius affectum uuam nuncupamus. Raro igitur hic affectus in columna generatur, sed inflammationem sæpe admodum experitur: ac nimirũ ut in alijs omnibus, in quibus ex humorum influxu morbus existit, ita & in hac prima præsidia fluorem reprimunt. Astringentis itaq; facultatis hæc esse oportet: si mediocris sit influxus, mediocriter astringentis, quam austeram propriè appellamus: cum aut uehementior constitierit, acerbæ: ambæ siquidem astringunt, sed imbecillius quidẽ austeræ, uehementius autẽ acerbæ. Porro expositæ à me sunt amborũ sapius materiæ: attamen etiã nuncrepetere eas fatius est, ut in exiguis inflamationibus imbecilles astrictiones, in magnis uehemẽtes assumamus. Collutiones itaq; moderatę sunt quę ex palmulis, aut palmarũ glandibus, aut quomodocũq; lubet appellare, cõstant decoctis, interim aqua sola, interim etiã exiguo mellis indito. Similiter cõuenit collutio ex rosis, capreolis uitis, rubi, rubi canini, aspalathi, cyperi, cytini, siliquarũ, mori radicum, hypocystidos, malorũ austerorũ, aut acerborũ, pyrorũ, sorborũq;: his ualētiora sunt decoctiones myrti myrtorumq;: item acerborũ malorum cotoneorũ, surculorumq; mollium ilicis, comari, simlacis, fagi, & glandium ipsarum, mespilorum, cornorũ, & memæcyli fructus. Generosissime autem parantur ex gallis, rhu obsoniorum & coriario, myricæ fructu, spina ægyptia dicta. Similiter fructu horum singulorum per se, & cum alijs decoctorum colluere os ex aqua oportet: mirum enim est quanto ipsorum misturæ utiliores simpliciuũ usu subinde fiant. Aridis autẽ

læuigatis attingere columellam sensim ad superiorem regionem exterioremq; ceu
 ad linguam reducendo: iniiciantur autem cochleario læuia sicca medicamina, ac fa-
 tius est si iuxta extremū in transversam lineam, quā in rectam cochlear desinat.
 Atq; horum ipsorum mediocria quidem sunt rosæ sicca, ipsarumq; flos, surculiq;
 siccati quarum paulo ante recensui stirpium, hypocystis, rhœon, coriariorum la-
 pis quo mulierum crepidas illustrant: uocatur autem ageratus: aloë, cyperus, sen-
 tifici flos, radix nardi indicæ, & apud nos montanæ. Verum his ualentius, sed ita ut
 non exasperet, manifestò astringit, ægyptiæ spinæ fructus, rhœon, & quod di-
 phryges appellatur: item rhus qui obsonijs iniicitur: ad hæc acerba, balauftium, cy-
 tini, malicorium, galla, magisq; cum immatura fuerit. Astringūt exacte etiam alu-
 mina omnia: uerum inter ipsa scissum tenuius est utiliusq;: chalcantum uero ue-
 hementissimam obtinet astrictionem, caloris non expers, atq; ideo putridis ulce-
 ribus congruit: attamen gurgulionem irritat, licet iam sit scirrho obductus. Cate-
 rum succi omnium prædictorum stirpium & fructuum ipsarum similiter astrin-
 gunt: dictum autem prius de ijs est inter stomatica quæ illinuntur, quorum alia ex
 musto, alia ex mellis mistura præparantur. Nam succi sine melle repositi plurimū
 corrumpuntur: aut rursus diutius incocti desiccantur: nonnulli autem succietiam
 si in sole æstiuo usq; ad mediocrē crassitudinem siccati fuerint, temporis spatio sicce-
 scunt, & si plurium annorum spatio durauerint, eo siccitatis perueniunt, ut cytinis
 & balauftijs similiter possint læuigari: huiusmodi sunt succus hypocystidos, uia
 immature, glycyrrhizæ, centaurij, et summatim omnes succi. Et si citra mel diutius
 coquantur, non corrumpūtur quidem, sed temporis spatio redduntur aridi: non-
 nulli sanè, ut dixi, ut læuigari possint: nonnulli uero qui uiscositatem quandam na-
 tura obtinent, dilatantur magis quàm læuigentur. Simplicia itaq; hæc utilia sunt,
 composita autem ex ipsis triplici usu fiunt: uno quidem ex congeneribus, ubi uehe-
 menti molle miscemus, medio indigentes: rosarum florem, aut ipsas rosas cum gal-
 la, aut alumine læuigantes, singulaq; prædicta prius lenia medicamina uehementi
 cōmiscetes: erit enim numerus nō exiguus ex tali uariatione. Quinetiā pro ipsa
 duorū quorundam mistura plura erunt medicamenta, dum ea alio aliud pondere
 miscentur: ueluti si rosarū flos, aluminis duplicatam habeat portionem, uel è con-
 trario, si alumē rosarum floris duplicatā obtineat. Poterit autem duplicatū aliquid,
 imò etiam triplicatū, aut quadruplum, alterum alteri misceri: constatq; aut cuius
 etiam æquale æquali posse cōiungi. Hoc itaq; medium erit extremorū: reliqua om-
 nia quædam propiora molliori sunt, quæ ex rosis maiorē partem recipiunt: quædā
 uehementissima, quæ plus aluminis assumunt: utriusq; aut haud obscura est maioris
 minorisq; ratio. Cum enim duo sint medicamēta, ualidum sanè, in quo copiosius
 est alumen, quàm rosæ: ualidissimū autē est, in quo alumen triplicatā rosarum por-
 tionem continet illius medicamenti, quod duplicatā obtinet. Quod igitur semper
 me dicentem auditis, nunc quoq; dicam: desipiunt qui perscrutantur quale sit præ-
 stantius in duobus congeneribus medicamētis, aut omnium ipsorum præstantis-
 simum, quemadmodum si quæras, num præstet alicam an ptisanam a grotanti-
 bus exhibere: uel utrum uinum an oxymel, uel inter medicamēta purgantia num
 ueratrum album præstantius sit an nigrum: uel summatim de omnibus prædictis
 quæ sint præstantissima: uniuersa enim respectu ad aliquid iuuant, nocentq;: atque
 hoc Hippocrates dixit, quem noui omnium primum posteriores secutos esse. Ve-
 rum nonnulli ex recentioribus medicis, sicut alia multa nugantur, ita & huiusmo-
 di. Vidistis autem frequenter re ipsa eius quod dicitur ueritatem. Intempestiue igitur
 quidam medicamentis quæ habebant usū, ideo quod affectus his excandesceret,
 ad alia citra methodū digressi sunt, & cum nihil his proficerent, tertio deinceps ad
 alia, nōnunquam etiam quarto citra rationem ad alia se contulerunt, ac arbitrari
 affectum

affectum esse malignum, uocarunt me, ut aliquid eis consulerē: ego cum iussissem
 medicamenta quæ haberent mihi ostendere, id quod presenti constitutioni conue-
 niebat consului. At cum dicerent ipsi, egrotantē medicamento quod consuluerim
 irritari, atq; ideo uti se ueritos, certò nunc adhortatus ut meo suasu uterentur, indi-
 caui & illis & uobis utrunq; id quod dicebat Herophilus, uerum esse: siue enim di-
 cas, nihil esse medicamēta sola per se, congruē dices: nihil enim sunt, nisi recte uten-
 tem habeant: siue contrā, ueluti deorum manus esse medicamenta pronuncies, etiā
 hoc recte dixeris, proficiunt enim plurimū ubi eum qui ipsis utitur in rationali me-
 thodo exercitatum, necnon industrium, ac natura prudentem habeant. Quidam
 10 enim non solum nō præstantiores cum sint, de sapientia cum prudentissimis dispu-
 rant. Itaq; congenerū medicamentorū mistura, mediōrū usus gratia efficitur: atque
 ideo semper duo uos habere facultatibus diuersa in unoquoq; affectu præcipio.
 Nam cum ea misceatis, per multa mediā medicamēta suppetent. Vna igitur conge-
 nerum medicamentorū mistura causa hæc, etiam nunc exposita est: alia autē una di-
 uerſi generis medicaminū mistura, ex huiusmodi fit ratiocinatione, quod raro di-
 spositionē inuenias, quæ uel sola digerentia uel astringētia desideret: liquidē parue,
 de quibus ne dispositionis quidē nomē medici proferūt, statim subsidūt. Cum autē
 affectus qui generatur maiorē habet hypothelin, fieri nequit ut per repellentia ex-
 acte curetur, præsertim cum ægrotantis corpus multis fuerit humoribus præditū,
 aut particula affecta imbecillis natura. Huius igitur gratia cogimur sæpe quidem sta-
 tim ab initio, sæpe paulò post aliquod digerens miscere: quod si dolor unā affligat
 uehemēs, etiam mitigatoriū. Vsus igitur est tunc, prædictorū medicaminū unicuiq;
 digerentia miscere. Cum autē hæc sint per multa, à mollioribus auspicandū est: nam
 quæ inflammationē experiuntur, acribus excandescunt: idcirco cōposita medica-
 menta facta sunt tum ad aliarū partiū, tum ad uuæ inflāmationes: utpote cū alumi-
 ni miscemus iridē illyrīcā, aut erui farinā, aut thus, aut myrrhā. Cum uero etiā mul-
 ta sint astringentia, et ea quæ citra rosionē digerunt haud pauca, uarietas eorū quæ
 ad columellas cōgruunt, meritò magna facta est. Tu autē intuitus quā habeat ma-
 gnitudinē caliditatēq; inflāmatio, contēplatusq; id qd ab ea defluit quantū existat,
 20 præterea copia humorū in ore per cōiecturā deprehēsa, medicamēto, aut qd prepo-
 let astringētibus, aut qd digerētibus, utere. Ascribam iam rursus hic quoq; medica-
 mēta à peritissimis prodita, quædā simul cū proprijs distinctionibus, nō pauca etiā
 citra distinctiones, in quibus ego, sicut in alijs quæ antea cōprehendi, proprias distin-
 ctiones apponā.

Quæ Archigenes ad uuæ inflammationē tradiderit.

De proposito affectu ita Archigenes primū medicamentū conscripsit: Vna laxa-
 xata liquore læui, aut galla læui cum sale attingito, aut ipso sale dissoluto, aut lycei
 radice læui, aut omphacio cū melle. Quod si ualidē uoles reprimere, chalcāthi, æris
 squamæ, aluminis scissi, misyos, myrrhæ, gallæ, singulorū pares portiones, leues ui-
 no exceptas inungito. Si hæc sola Archigenes persecutus cessasset omnino, repre-
 40 henderem utiq; quod medicamēta facultatis maxime contraria citra distinctionē
 scripserit. Quoniā uero ijs quæ deinceps tradidit, corrigit etiam indistinctā horum
 scripturā, recte fecit: quod autē hæc indistincte prolata sint, inde licet cōdiscere. Vna
 inquit, laxata liquore læui attingito. Conueniebat igitur hoc quoque adiecisse, qua-
 li nam dicat liquore. Sed quia omnibus iam persuasum est cyrenaicū optime ad
 columellæ inflāmationes facere, nō addidit cyrenæi. Hac itaq; ratione quis ipsum
 accusauerit. Quatenus autē acerrimum & maxime calefaciens medicamentū cyre-
 naicum liquorem cum contrarijs scripserit, non adiecta distinctione, neq; indica-
 to tempore, quando liquore uti conueniat, quando autem medicamentis astricto-
 rijs, hac parte male se gessit: chalcanthum enim & æris squamā, alumenq; scissum,
 misy & gallam, omnia paria læuigare in uino iubens, admiscensq; eis & myrrhæ

æqualem modum, medicamento composito uuam obliniit, nimirum adstrictione ualidissimo. Mitigauit autem scripturæ incertitudinē, cum ascriberet sermone de medicamento, hæc uerba, si autē ualidē uoles. Nam ueluti scientibus nobis quando ualidis utendum sit, ita hoc quoq; scripsit. Mixtum uero medicamentū inter ea quæ enumerauit existit, galla cum sale, ipsa quidem astringens uehementer; sal autē cum exigua astringente digerens. Priuatim uero sale non per initia, sicut neq; liquore utetur aliquis, sed in uuæ inflammatione, quæ in scirrhū indurefcit iam & inueterascit. Ipse autem nō columella, sed uua laxata scripsit, similiter uulgaribus existimans columellæ inflammationem uuam appellari. Et quid mirum est, cum etiam nostri temporis quidā ob atticissimum se ostendet, ut particulam ipsam uuam 10 nominet; magis em̄ ipse quàm Archigenes ignorauit, etsi apud alios ueteres usum appellationis, nec non apud Hippocratem in prognostico hisce uerbis facile inuenit; Gargareones non sine periculo præciduntur, peruruntur, & scarificantur, do- 20 nec rubicundi coloris & magni fuerint. Etenim inflāmatio talibus oboritur & sanguinis profluuium. Verum huiusmodi alijs instrumentis conandum est hoc tempore scarificare. Hæc priuatus Hippocrates deinceps ait: Cum autē in totum fuerit excretū, quod uuam uocant, & summa gargareonis pars maior & liuida euasit, superior autem tenuior, hoc tempore aggredi securū est; præstat autem uentre 30 subinanito, chirurgica uti, si tempus permittat, & homo non suffocet. Præterea manifestius Diocles interpretatus est, qualis affectus sit uua dicta: et post hunc Praxagoras, Mantiasq; & qui ea quæ affectibus adsunt cōscripsere. Nōnulli uero etiam propterea uuam affectū appellatū esse dixerūt, quoniā summa gargareonis portio acino uuæ respōdet. Quæ postea Archigenes prodidit recte dicta sunt, qui distinctiones usus ipsorū apposuerit. Verba ipsius ita sonāt: Cōmune medicamentū columellæ & paristhmiorū. Cōmuniter paristhmiorū, aut columellæ inflammationi 40 bus, aut exulcerationū initijs, statim cōuenit quies, inedia, cōgrua uictus ratio: gargarismata autē leuiter astringentia, posca aquosa, tepida, aut mulsa, aut palmæ glandium, aut pampinorū uitis, aut malorū cotoneorū, aut mespilorū, aut pyrorū syluestrium, aut rosarū decoctum mellis momento cum austeris decoctis mixto. Porro antea quod per se mulsa per inflammationū initia uti iusserit, non recte fecit, utitur. Mulsa em̄ nihil habet astringentiū, sed principalissimū quidē ipsum, aliquis abstergorium dixerit; cum hoc si digerens addiderit, non peccauerit. Quæ igitur deinceps ab eo scripta sunt bene habent, ad uerbum ita sonant: Bene facit etiā acaciæ succus aqua dilutus: per linere autē oportet cū similibus stomaticis, nempe Lite diamoron et rhus syriaci coriarij q; diluto, cocto usq; ad consistentiam, melle admixto utitor. 50 Aut malorū punicorū dulciū & acidorū succo decocto usq; ad mellis spissitudinē utitor. Aut uuæ immature expressione præparata utitor, aut rubo, aut lentisco, aut terebinthina, aut myrrha, aut rosarū succo, cum melle utitor. Et post hæc applicare extrinsecus alumē scissile, cū aloës dimidio, & exiguo acaciæ, cum solani succo consules, ita ad uerbū infert: Quod si inflāmatio perseveret, aceto tepido priuatim gargarizato, aut galla læui admixta, aut rubi, aut syluestris oleæ radicis, aut cyperi cū melle decocto, uel passo cum aqua, aut cucumere calido, aut maluæ decocto. Constat autem cuilibet, communia hæc remedia, sicut prædixi, columellæ & paristhmiorum esse. Verum non recte mihi uidetur passo cum aqua fidere, medicamento ad huiusmodi imbecilli, quemadmodum cucumerino maluæq; decocto, priusquam affectus ad suppurationem deueniat; conueniebat autem hoc ipsum indicasse. Cæterum connectens subsequentiā superioribus, Archigenes hoc pacto differuit: Illi nito etiam superioribus ad faucium ulcuscula transpositis: propriè autem pice cum oleo, aut melle, aut crocomagmate cum momento gallæ ex melle, aut alumine rotundo cum rosarum flore læuigato; aut rosas aridas, aut florem ipsarum læuam

læuem inspergito, aut in paristhymia & uuam inspirato, aut cyperi radicē, aut myr-
 tum, aut lentiscum, aut rubum, aut gallam, aut salem tenuē similiter inspergito, aut
 omphaciū, aut lentiscum cum melle illinito, aut rosarū florem, aut crocū cum mali
 punici succo. Hic rursus astrictoriam medicinā digerenti citra distinctionem mi-
 scuit: nihil enim simile inspergere salem tenuem, aut rosas aridas, earumq; florem,
 aut pice cum oleo calefacienti digerentiq; medicamento uti: aut galla & alumine,
 medicamentis maxime astrictorijs. Etenim cum inflammatio in uetustatem inci-
 dit & scirrho indurefcit, pulchrē aliquis picem liquidam adferet, aut aridam oleo
 liquefactam: tunc & sal utilis, corpore nimirum prius euacuato. Cum autem affe-
 ctus incipit, aut augetur, & cum multo calore uiget, maxime contrariū est auxiliū
 oleum & pix, eadē ratione & sal. Deinceps porro bene scripsit Archigenes in ui-
 genti affectu præsidia: innuīt aut hinc augeri, & nihil à propositis adiuuari. Habēt
 ipsius uerba hunc in modū: Quod si affectus uigeat, uenter subducatur, aut garga-
 rizer ex fursurū lotionē calida, aut ptisanæ succo, aut passo tepido, aut dulcis radi-
 culæ decocto, cum passo et hysso, aut ficubus uino incoctis, aut ptisanæ cremore
 in quo decoctæ sint uuæ passæ. Cæterū permultū iuuatur si amygdalinū oleum in
 aures instillaueris, & extrinsecus foueri debēt spongijs expressis, & cataplasma ex
 farina ordeacea imponi debet, aut ex lini semine, aut fœnugraco, uel etiā smegma
 ex his parabitur. Si igitur paristhymia ad suppurationē spectant, adiuuari debent
 ficuum decocto continuē, ac ferē sine interuallo gargarizandum dando, uel mul-
 sa calida similiter. Quod si nihil tale appareat, intendatur autem, & difficulter per-
 initia deglutire possint, ut strangulatus suspicio sit, uenter ualidē clystere, aut glan-
 de subducendus est, aut sanguis ex cubito mittendus, cucurbitulæ ceruici & men-
 to, cum scarificatu agglutinandæ sunt, fotibus & cataplasmatibus frequentius uali-
 diusq; utemur, et gargarismatis continuē. Quod si his remedijs non cedat malum,
 sed intendatur, uenæ sub lingua incidī debent, aut quæ angulos oculi perreptant,
 aut etiā quæ in fronte habentur. Cæterum crebro perlini debent taurino & ela-
 terio simul cum melle, aut sale cum oleo ueteri ex melle & aceto, aut centaurio cū
 melle, aut absinthio cum nitro & melle: aut hirundines totas cum pennis combu-
 stas lauigatasq; cum melle illinito. Affirmant nonnulli etiam summē facere hi-
 rundinis pullos pingues, admodum recentes, saluos, tostos, esuiq; ipsis exhibitos:
 statim enim suffocatum læuant. At si pueri aut senes fuerint, sulphur & iridem,
 cum melle dato linctū. Quod hæc communia sunt amborum, sicut initio dixit,
 uuæ & paristhymiorum remedia, clarum reddidit etiam dictis subsequētib; ita
 inferens: Nonnulli synanchicis, aut cynanchicis, elaterij, aut fellis taurini, utriusq;
 obolos duos cum tepida mulsa potui exhibent: quidam uero asellos, qui sub aqua
 rijs latitant, cum aqua propinant, aut linctū exhibent, aut dolentibus partibus il-
 linunt. Iam admodum testantur adiuuari etiam si uapore locus hic intrinsecus fo-
 ueatur, origano, aut hysso, aut satireia unā cum aceto abunde feruefacto in olla
 diligenter oblita: operculum autem habeat in medio foramine, deinde fistula oper-
 culi foraminis usque ad affectum adaptata linito foueri. Quod si os feruentis fi-
 stulæ comburatur, ouum uacuum perforatum utrobicq; in ore contineant, ac per
 ipsum fistula deducatur. Mollior autem fatus efficitur, si loco aceti aqua adhibea-
 tur: nonnulli nitrum, origanum, nasturtij semen, & oleum contrita in posca mi-
 scent, ac similiter fouent: aut cinere pullorum hirundinis nondum pennatorum
 oblinito: aut solani succum et butyri equalem modum, cum rosaceo cerato mento
 imposito: ijs qui suffocantur pissariō cum aqua & nitro propinato. Hæc sanē Ar-
 chigenes cōscripsit, ego uero nunquā aggressus sum ulli in huiusmodi dispositioni-
 bus medicamenta potui dare, qualiū tum ipse, tum alij quidā meminērūt. Hoc igit
 qd ad calcem superioris orationis scriptū est hūc uerbis, lis qui suffocatur pissariō

cum aqua & nitro propina, qua ratione dictum sit, cum non possim mihi persuadere, imò cum neq; præceptorem ullum, neq; alium uti uiderim, nec ipse uti sum aggressus. Etenim sanguinem ijs qui suffocantur detrahere, & clysterè acrem indere, & purgantia exhibere, quo totum euacuetur corpus, & humores qui ad affectas partes impetum faciunt deorsum reuellantur, rationi consentaneū est, & longa experientia cōprobatum. Similiter etiam post totius corporis inanitionē, & reuulsionē ad inferiora factam, acribus uti medicamētis abunde digerentibus, bona est ratio, simul & usu approbata. Picem autem cum aqua et nitro propinare, cum neq; alium quempiam uiderim, neq; ratione ducar, abstinui.

Apollonius in primo paratu faciliū ad uerbum ita scriptum reliquit.

Apollonius in primo de paratu facilibus remedijs ad uerbum ita contra colicam
 » mellæ inflāmationes medicamēta quæ illini possunt conscripsit. Sale læui et melle
 » perlinēs columellam reprimes, pice oblinens digito reprimito, liquore cyrenaico
 » aqua soluto columellā attingito, chalcitide læui similiter, omphacio læui cū melle
 » utitor. Hæc quidem Apollonius. Licet uobis in ijs quæ citra distinctionē scripta
 » sunt cōtueri, nisi quis uires uniuersiusq; indistincte proditas cognouerit, ut conue
 » nienti tempore utat, maximā noxā adfert. Scriptū enim indidē primum omnium,
 » ut sale læui cū melle utamur; postremū uero omphacio cū melle; cōtraria facultas
 » est omphacio cū sale. Quapropter si quis per initia sale utat, præsertim ubi corpus
 » est plethoricū, uel ea quæ in capite habentur, extremā laboranti læsionem cōciliat.
 » Omphaciū per initia utilissimū est, ut quod non attrahat neq; alliciat ad se id quod in
 » alto latet, quemadmodū sal cum melle, uerū repellat. Sal autē cum melle digerentē
 » uim obtinet, quod mel ubi cum sale mixtū est, exiguæ admodū astrictionis parti
 » ceps sit; cum autē mel mixtū fuerit, etiam illud absolutē obscurat. Atq; id quod pice
 » constat, inueteratis inflammationibus, & ut ita dicam, scirrhus iam indurascētibus
 » idoneum est: quemadmodū etiam cyrenaicus liquor non incipientibus, sed post
 » quam id quod influit astrigentibus fuerit repulsum. Chalcitis ne utiquam idonea
 » est, nisi dispositio uehementer inueterata, & ad curationē contumax fuerit: quippe
 » cruda cum assumitur mordax est medicamentum; atq; ideo cum uim ipsius immi
 » nuere cogitamus, sæpe ea combusta utimur. Deinde post cōmemorata, Apollo
 » nius hæc ad uerbum tradidit. Gargarismata ad columellam relaxatā ac pendulā.
 » Origanum tritum aceto & aquæ mixtū subferuefacito, & caricarum succo mixtis
 » utitor, ex eis gargarizandum dato. Aut hyssopo trito & caricarū coctarum succo
 » mixto utitor. *Aliud.* Origanum similiter, mentham, rutam, & coriandrū tritum
 » lacte asinino ad gargarizandū exhibeto; apio & lauri folijs in læuorē tritis, uinoq;
 » subactis, aut lenticulæ decoctio utitor. Noui quendam qui omnibus ab eo conse
 » ctis indistincte uteretur, initio inflammationis gurgulionis horum aliquo usum,
 » extremē nocuisse. Nam præter alia ignorauit quidnā esset, quādo columella deor
 » sum penderet; cum Apollonius uelit gurgulionis dispositionem admodum rela
 » xatam citra inflammationem indicare, quam etiam præcidere consueuimus; & re
 » uera conducunt in ea medicamenta, quæ pituitam educunt calefaciuntq;. Etenim
 » magna ex parte subalbida sit & exanguis. Deinde ad uerbum ita scripsit: Urina
 » asini copiosa & calidissima potui datur: idem facit etiam ad anginam. In huiusmo
 » di pæsidijs scriptores demiror. Noui enim ego omnes homines, paucis exceptis, ci
 » tius mori uelle, quā asini urinam bibere. Hic [copiosa] adiecit; alioquin, ut prius
 » dixi, absurdissimum est eum qui oris inflammationem curat, medicamentum dare
 » potui, quod non sit ex genere purgantium; hæc enim alterius usus gratia exhiben
 » tur. Aliorum uero abunde est etiam, quæ licet nō potentur, auxiliari possunt. Iam
 » quod post hoc scriptum est, similem habet absurditatem; scribit itaq; sic de eo: Lau
 » ri folia trita ex uino & aqua potui dato.

Heras

Heras igitur multo melius Apollonio hunc in modum ad columellas laxatas scripsit.

Gallæ immaturæ, salis ammoniaci, singulorum pars una: læuigatis singulis & priuatim, & simul pleno cochleario uuam attingito. Lapidem ageratō dictū, quo coriarij illustrandis mulierū calciamentis utuntur, derafum pleno cochleari uuæ admoueto. Ex his duobus medicamentis alterum, nempe posterius, lenissimū est, neq; ad nocendum quicquam, neq; ad uehementer iuuandum efficax, quocunq; tempore quis eo utatur. Valentius autem primum est: itaq; cum incipit affectus, aut uehementer rubet, idoneum non est. At si toto corpore prius euacuato, & ubi nos repellentibus usi fuerimus medicamentis, postea applicetur gurgulioni haud admodum rubenti, iuuare potest. Nam ex contrarijs ualidis facultatibus constat, repellenti & digerenti. Parum igitur recte fecit Heras, qui citra distinctionem ea prodiderit.

Heraclides Tarentinus in commentarijs ad Antiochidem, & ipse hoc pacto scriptum reliquit ad columellas inflammatas.

Omphacium aridum, misceto mellis quod satis est & attingito: aut galla læui cum melle, aut alumine scissili similiter, uel liquore cyrenaico cum melle, uel creta sutoria, uel Andronij medicamento, quod inter uulneraria exponam, cum uino: oportet autem postea lentis decocto gargarizare. Recte hoc finī apposuit: nam uehementia sunt omnia ab ipso prodita medicamēta, acerba qualitatibus, eoq; exasperata: lenire igitur aspretudinē ab ipsis contractā lenticularū decocto instituit. Si aut mediocriter inflammationē experiantur, non necesse est his uti: quemadmodum nec cum rubent uehementē, et calidā sustinēt inflammationē columelle: imò nec cum declināt: præpollere em̄ tunc digerentiū medicaminū facultatē conuenit.

Asclepiades autem de ipsis hoc pacto conscripsit: Aridum ad columellas laxatas.

Anethi cum semine & radicibus quantū satis est, conijcito in uas fictile, ore obstructo & argilla circumlito, in foco torrefacito ut uas incandescat: deinde exempto à foco combustū anethum terito, ac excipiens reponito, cum usus exigit duas anethi partes acceptas, & iridis ill yricæ in puluerem redactæ partem unam, mixta per fistulam inspirato. Rosarum liccarum sextarium unum, nardi gallicæ cum radicibus & terra circumdata fasciculū unum, hirundinū syluestriū pulli siccati drachmas tres, myrrhæ drachmas octo, gallas omphacitidas, hoc est, immaturas numero quadragintaquinque: cōtusa cribrataq; inspirato, & digitis applicato. Horum duorum medicaminum prius sanè nihil prorsus habet ex repellentibus, sed totum est digerens: alterum uero mixtum est ex contrarijs, digerenti sanè admodum, syluestrium hirundinū pullo: astringenti autē, gallis: media uirtute, myrrha: mixta, nardo gallica: habet enim & astringens & digerēs, ambo mediocria. Atqui per fistulam huiusmodi medicamenta admodū damno. Nam multa ipsorū portio etiā in asperam arteriā & stomachum delabitur: præstat igitur in cochleariū coniectis ipsam reprimere, quemadmodū me uidistis factitare. Iam aliud tertium medicamentum Asclepiades post duo cōmemorata his uerbis conscripsit: Aridum ad uuam relaxatā tumidamq; Neapolitæ. Piperis albi drachma una, myrrhæ tantundē, aluminis scissi drach. duæ, gallæ immature tantundē; læuibus attingito. Hoc medicamentū post initium perpetuò utile esse potest, nisi in uehementer rubidis: in illis siquidem cauendū est acria miscere et mordacia uehementer, quale est indidē piper. Iam aliud eiusdem facultatis ordine ad prætumidas uuas conscripsit, quod hæc recipit: Lapidis agerati, lapidis asij floris, terræ samia, singulorum drachmæ quatuor, aluminis scissi, croci torrefacti, gallarū immaturarū, singulorū drach. duæ: læuibus utitor. Hoc etiā nos usi sumus sæpe, ut quod præstantissimum sit, & quouis tempore iuuare possit, præterquā, ut in primo à me dictum est, neq; per initia statim, neq; cum rubet, calidusq; inflammationis tumor est. At in uetustis iam & corpore

uacuo post unum usum statim maximum præsidium indicat. Etenim uehemēter astringentia digerētiaq; & ea quæ medię materię sunt, temperatè in ea sunt mixta.

Critonis medicamentum hoc pacto ad columellas scriptum.

- » Ad idem tempus præparato palmularum ossium & nucum tenerarum rauci-
 » darum siccarumq; utriusq; drachmas quatuor; combustis & in puluerem contri-
 » tis utitor, sicco attingens. Atq; in hoc medicamento combustorum ossium palmae
 facultas abunde digerit: etenim in alijs ipsius affectibus experientiam habemus ta-
 lem existere; item nucum tenerarum siccatarum cinis digerendi uim obtinet cum
 astringenti.

*Soranus medicamentum indistincte prodidit, non adiiciens, quibus propriè sit efficax:
 habet ipsius dictio hunc in modum.*

- » Glycyrrhizæ cōtusæ mel affundito, & aquam dulcem pari mensura, deinde ex
 » succo cocto gargarizato. Errauit quod non ascripserit medicamentum hoc esse le-
 uissimum, in statu inflammationū uehementer efficax; fit huius usus cum ab acer-
 bis medicamentis uiam immoderatus quis irritauerit exasperariq; nam hoc me-
 dicamentum ipsam mitigat.

De medicamentis ad aphthas.

Superficiaria oris ulcera aphthas uocant, quæ etiam calor ignei non nihil ob-
 tinent. Oboriuntur autem hæ plurimum infantibus, cum aut lac nutricis fuerit ui-
 tiosum, aut non probè aded infans ipsum cōcoquit. Cæterū magna ex parte facili-
 curationem recipiunt, ut quæ mediocriter astringentibus subsidant; interim sanè
 etiam in uetustatē incidunt, & ægrè soluntur, temporisq; spatio putridum illud,
 quod Græcis medicis à depascendo nomen dicitur, experiuntur. Scripsit itaq; etiam
 aduersus hæc medicamina, mediocria sanè, ad eas quæ nihil maligni habent, uali-
 da autem, ad eas quæ iam depascens aliquid, & putridum sentiunt. Ego autem eo-
 rum meminero, quæ recentiores collegerunt, quandoquidem & ueterum medico-
 rum optima scripserunt, deligentes ea, longo usu & experientia; ac nonnulla, quæ
 posterius inuenta sunt, apposuerunt. Inuenies post ueteres Mantia et Heraclidem
 Tarentinū plurima conscripsisse medicamenta; similiter etiam Menecrates librū
 optimorum medicaminū inscripsit, quorum plurima ipse inuenit, sicut & Heras
 Cappadox. Andromachi duo, tertium quoq; in quo oculorum medicamina tradita
 sunt. Plures autem libros cōposuerunt Petronius Musa, & post ipsum Asclepia-
 des duo; deinde Crito. Verum hi quidē tres post Andromachū extiterunt. Heras
 autem ante Andromachum, & post eum Musa & Menecrates: multò his prius
 Heraclides eiusq; præceptor Mantias. Sed hic quidem ut ab initio erat factorum
 studiosus, ita etiam perpetuò permansit. Heraclides autē ad empiricorū medendi
 rationem desciiuit, inter medicos tum alia artis parte optimè instructus, tum pluri-
 morum medicamentorū peritus. Cum igitur aphthæ, de his enim dicere institui,
 ad malignū conuertūtur, ualidioribus indigent remedijs, qualia etiam aliàs in pa-
 rithmijs & ore dispositiones medicantur; proinde cum iam compositionis illorū
 scopos prius exposuerim, nihil adhuc ut de his dicam opus habeo. Verū ad eorum
 quæ prius cognita sunt, perueniam, auspiciatus ab Andromachi medicamentis, ut
 consueui ad uerbum ea scribere.

Quæ Andromachus ad aphthas tradiderit.

Non solum Andromachus, uerum alij quoq; duplicia medicamentorū genera
 ad aphthas conscripserunt: in ijs sanè quæ nondum malignū experiuntur, medio-
 cria facultate medicamenta componentes; in malignis autem fortiora. Cæterum
 inter hæc ipsi adscribunt aliàs ipsum ad aphthas, & ulcera cōuenire, aliàs ad putres
 aphthas. Cum autē simpliciter ascripserint ad aphthas simplices, indicant & nihil
 habētes maligni. Andromachus igitur ad malignas aphthas ita scriptum reliquit.

Ad oris

Ad oris aphthas & ulcera. Aluminis scissi cōbusti drachmæ duæ, ericæ feminis drachma 29
 una: cum oleo locū digito extergito. *Aliud ad eadem.* Aeruginis drachmæ duæ, alu- 29
 minis scissi partes duæ, gallæ in puluerem redactæ pars una: læuigata per linteolū 29
 in puluerem redigito, deinde oleo digitū imbuens excipiensq; aridum applicato, 29
 plurimum tonsillas & palatum extergens. Aufert autem pelliculam, & oris aspe- 29
 ritates tollit, & callum excoriat, ulcera ad cicatricē perducit. *Ad superficiales aphthas* 29
hoc pacto scripsit. Ad aphthas: Lycium indicum cum uino læuigatum circūlitum: fa- 29
 cit etiam ericæ semen læue, aut rosæ siccæ cum melle. Hæc præfatus infert: Quod 29
 si nigra fuerint & praua, uua purgatæ partes tres, anisi parem modum: læuia cum 29
 melle illinito, deinde colluito. 29

Ad aphthas Critonis.

Crito ad aphthas hoc pacto scripsit: Portulacam in mel tinctam mandet. Aut 29
 oleæ folijs uino incoctis colluat. Aut myrti albæ foliorū decocto cum uino. Aut 29
 æruginis uermicularis obolis tribus in uini heminis quatuor læuigatis colluat. Itē 29
 galla trita acetoq; incocta illinito. Iam & amygdala amara cū melle bene faciunt. 29
 Ad aphthas nigrescentes, uua passa acinis purgata & aniso læuibus cum melle illi 29
 nito. Item Heraclides Tarentinus: Erui farina cum melle, et galla cum melle attin- 29
 gito. Cōuenit autem & rhus obsoniorum cum menthæ furculis. Esto autem rhus 29
 mensura quantum tribus digitis prehendi potest, menthæ autem furculi tres, & ro- 29
 farum folia septem, nuclei pinei septem: his omnibus cum melle læuigatis utitor, 29
 aut lycio cum aqua: cōuenit & fex uini dulcis cum melle illita: aut alumen & cor- 29
 ticem mali punici dulcis ex æquo trita, & adipe anserino mixto perlinito, aqua ca- 29
 lida frequentius colluito, & prius cum adipe anserino coquito. *Aliud Musæ.* Tama 29
 ricis feminis drachmæ sex, aluminis scissi drachmæ duæ: unguuntur ex oleo. *Aliud* 29
pueris potissimum efficax. Rhus rubrum læue cum melle mixtum perlinito. Aut adipē 29
 suillum cum melle: dato ipsis lac asininū ad colluendum. Quod si plurima saliuā 29
 efferatur, gallam & solanum aceto subacta fac colluat: uiolas albas aridas tritas cū 29
 melle perlinito. Iure aliquis damnauerit Critonē, qui hæc prodiderit, quod in alijs 29
 semper reprehēdo, dum indistinctē auxilia ordine enumerāt, non apponētes affe- 29
 ctu incipiente, aut crescente, aut decrescente, aut uigente, aut declināte, nec quod 29
 exiguus sit, mitis, aut prauus ad eō ut putridum aliquid ei sit coniunctum. Ex his 29
 enim medicamentis nonnulla sanē simplicissima pueris conueniunt potissimum, 29
 cum nullam habent dispositionem, ueluti cum adipem suillum & mel liquefacta 29
 assumit, multoq; magis cum ex lacte asinino collui præcipit. Est autem simplicissi- 29
 mum medicamentum etiam portulaca si melli intincta fuerit & mandatur: item 29
 collutio quæ fit ex oleæ folijs, necnon quæ ex alba myrto præparatur similiter. Va- 29
 lidissimum quod ex æruginē & uino confit, sicut et galla aceto acri trita & illita: si- 29
 quidem ualens hoc admodum medicamentum est, ueluti etiam & quod æruginē 29
 constat. Verum in illo sanē paucissimum æruginis est, tres enim obolos dixit, in ui- 29
 no heminae quartario læuigatum & colluendo imbecille redditur uini misturæ co- 29
 pia solutum. Gallā uero in aceto acri læuigata crassa ad eō ut perlini possit, admo- 29
 dum uehemens est medicamentum: sicut etiam quod ex alumine, corticibus mali 29
 granati dulcis componitur. Quod si non adipi anserino mixtum fuisset, ad putre- 29
 dines utiq; ualidas cōueniret. Iam etiam ualidum est quod ex myricæ semine con- 29
 stat et alumine, uerum non ad eō ut quod gallam & acceum recipit. At semel dun- 29
 taxat recte se gessit, qui ad uerbum ita apposuerit: Quod si copiosius saliuā efferat- 29
 tur, fac ut ex galla & solano aceto maceratis colluant: nam copiosius efferre sali- 29
 uam, indicat dispositionem esse maiorem. Prestaret autē aperte dixisse, quod si dis- 29
 positio depascere incœperit, aut ulcera profunda euaserint, aut eiusmodi aliquid 29
 ascripserit.

Vetus addit

467.

Quæ Asclepiades ad aphthas prodiderit.

Recte igitur Asclepiades factitauit, etiam si non multa adeò medicamenta ad aphthas conscripserit: uerū quum duo per initia hoc pacto posuisset, Ad aphthas citra depastionē: deinde post duo rursus adieciisset, Ad aphthas depastas: lenia em̄ & rosionis expertia duo hæc sunt medicamenta, alterum sanè prius tradit, in quo
 » ait: Medullam bouillam melli mixtam tepefactamq; illinito: maxime autem utile
 » est infantibus. deinceps subdit, adipe suilla melli mixta utitor. Ad aphthas depa-
 » stas, cum iussisset gallarum decocti cyathum unum, & mellis parem mensurā mi-
 » sceri & feruefactis uti. Ego & hoc & alia tria post ipsum paulò superius prodita,
 » inter medicamēta ad nomas conscripsi. Etenim nihil puto interesse siue ex aphtha
 » siue ex alio quodam in nomen, hoc est, depastionem transitus fiat.

Quæ Apollonius ad aphthas scripserit.

Apollonius Herophilus in primo de medicamētis paratu facilibus hoc modo
 » ad uerbum scriptum reliquit. *Ad albas aphthas.* Chalcididem oleo tritam pinna illi-
 » nito: hoc statim finit morbum. Vbi uero puræ euaserint, myricæ semen lauiगतū
 » et mulsā solutum, aut uino, illinito quam maxime pueris. Deinde aliud profert po-
 » tissimū ad aphthas nigras: Vua passā acinis exemptis, & aniso, læuibus cum melle
 » perlinito. Ac rursus aliud deinde: Chalcātho cremato læui cum melle utitor. Quip-
 » pe apparet in malignis his uti medicamētis iubere. Scripsit itaq; in primo, medica-
 » menta ad aphthas albas: in secundo, ad nigras, indicans colorem præter naturam
 » & affectus magnitudinem. Deinde cum ad aphthas collutiones apposuisset, ita ad
 » uerbum adiicit: Vno nigro austero & læuiter astringenti colluito: oleæ folijs in ui-
 » no decoctis abluito: myrti albæ foliorū decocto cum uino similiter utitor. Hæ col-
 » lutiones citra distinctionē scriptæ nullā noxā inferunt. Etenim in mediocribus &
 » maioribus maximisq; dispositionibus conueniunt. Probè autem deinceps aliud
 » uehementer efficax conscripsit. Aeruginis uermicularis obolos tres tritos in uini
 » hemine quartario dato colluendum, deinde ita uino colluito. Hoc enim in ualido
 » ribus congruit, quemadmodū et quod deinceps ita proditū est. Muriā oliuarū &
 » acetum pari modo mixta dato ad colluendū: deinde sic uino perluito, postea mul-
 » sa, deinde rursus aqua utitor: in omnibus autem oleo colluito. Post hæc duo scribit
 » medicamenta diuersis aphtharū speciebus cōgrua: etenim hyssopū tritum calidis
 » & rosionē expertibus dispositionibus purisq; maxime aduersum est. Cōuenit autē
 » sordidis & inflāmatione tentatis aphthis: omphaciū uero cum uino, puris idoneū
 » est, & ijs quæ mordentur rodunturq;. Verū iubet ex omphacio cum uino trito col-
 » lui, hyssopo cum uino trito aut mulsā. Validū admodū est quod post hæc ponitur
 » medicamentum, ceu iam etiam depascentibus aphthis conueniens, quod conficit,
 » myricæ semen cum aceto decoquens. Iam ualens est quod hoc sequitur, in quo ait,
 » galla trita in aceto acri datur ad colluendum. Iam post hæc scriptū, in quo ait, liquo-
 » ris sulphij subactō similiter utitor, postea oleo eluito: etenim id acre & mordax est
 » digerensq;, non astringens. Itaq; parū recte mixta sunt astringētia, acerbā, & repel-
 » lentia, digerētibus et acris, citra distinctionē conscripta. Quod hæc subsequitur,
 » quoniā ex aceto præparatur, generosum est: quoniā uero non adiecit aceto, acre, et
 » quia ex lini semine, moderatius fit: adiecit autem ei etiam lolium, digerens admo-
 » dum medicamentū: idcirco & ad linguæ tumores laxos, quæ œdemata dicunt, con-
 » uenire pronunciat. A scribā totam ipsius seriem: Lini semine & lolio pari ponde-
 » re tritis ex aceto eluito. Hoc autem ipsum facit etiam ad linguæ œdemata. At mi-
 » tūs multo his omnibus medicamentū ordine tradidit his uerbis: Folijs pruni con-
 » tuls & lacti mixtis ex uino eluito. Cum enim appositum sit eluito, constat quod
 » multo lacti pauca folia misceat: nam si folia cum lacte læuigata medicamentū ius-
 » sisset esse quod illini posset, constaret utiq; multa quidem folia, lac autē paucum esse
 » præcepisse

precepisse. Deinde uero cum ascripisset, quæ mandari possunt ad aphthas, infert, oli-
ua muria conspersa, quæ halmades dicuntur, mandere oportet. Nullum uero la-
tet, medicamentum esse mitissimum. Deinde rursus, portulaca mellis intincta man-
di debet. atque hoc similiter lenè est. Differunt inuicem hæc duo, quod halmades
astringant & digerant, plurimumq; cōtineant facultatis astrictoriæ; portulaca ue-
ro cum melle, imbecillius sit medicamentum. Deinde recte factitauit, qui pueris
conuenire dixerit quæ enumeraturus est medicamina; scribit autem de his ad uer-
bum hoc pacto: Cum puer aphthas experitur, similaginem, medullam bouinam,
& farinā cocta inducito. Quod si surgere nequeat, lienem bouillum incoctum uino
tritumq; cum melle illinito. Hoc sanè medicamentū est superuacuū. Deinceps aut
recte scripsit abstinentum esse in uictu acribus, salis acidisq; cibis et potu. Deinde
haud noui quomodo post id in hæc uerba scribat: Chalcanthum læue cum melle
oblinito. Hoc conueniebat superius inter ualida medicamina scriptum esse,

Quæ Archigenes ad aphthas prodiderit.

Nonnullis sanè etiam ex ijs quæ Archigenes ad aphthas scripserit, eadem cum
prædictis existunt: sed uisum mihi est omnem ipsius seriem ordine persequi, ita ut
nihil relinquatur. Scribit itaq; sic: Ad aphthas, collutiones quidem facito, oleæ fo-
liorum decoctum, aut myrti albæ foliorum: similiter oliuæ colymbadis aquam.
Bene facit etiam amurca & marrubij succus, aut lenticulæ decoctum, aut rubi, aut
cyperi, aut eruginis uermicularis tres oboli in uini gnidij heminis quatuor, & per
luat. Iam plura ex stomaticis ut dicuntur ad illitum utiles bene faciūt: hæc autem
peculiariter congruunt: Lentisci, rosarum floris, æqualibus ponderibus, myricæ se-
minis duplicato: aridis utitor. Aut thus, glycyrrhizæ succum æquali pondere, gal-
læ, myrrhæ, anisi, singulorum exiguum cum sapa illinito. *Aliud.* Manna & sale
æquali pondere aridis per pinnam attingito. *Aliud.* Fece uini dulcis cum melle il-
linito. *Aliud.* Misy, alumen & rhu cum melle illinito. *Aliud.* Aut chalcitidem cum
oleo pinna illinito: admodum salutare est medicamentū. Aut oleæ folia cum oleo
perlinito: ubi uero purgatæ fuerint, myricæ semine cum mulla aut uino illinito, aut
absterfas erui farina & melle, galla cum melle attingito, aut myricæ semen & alu-
minis tertiam partē cum oleo inungito. hoc etiam ad nomas facit. aut adipi fuillo
porcinouæ mannam inspergito illinitoq; aut gallam leuem cum oleo, aut alumen
liquidum resolutū. Folia cyperi mandent: aut lycij radice arida attingito, aut oleæ
furculis læuibibus cum melle, aut galla cum sale. Quod si intendantur serpantq; de-
pascendo putrū modo, collutionibus quidem & gargarismatis utendū est ad aph-
thas ualidioribus, priuatim autem muria frequentius, aut ex herba sacra, aquæ aut
uino incocta, dato colluendū aut gargarizandum. Inunctionibus quidē ualidiori-
bus utitor, seorsim autem cornu ceruino læuigato attingito, aut chalcantho tosto
læui cum melle, aut ærugine æris, aut squama cum melle. Summè facit ad nomas
sceniculi radice cōbustæ cinis. Hæc ad aphthas tradidit Archigenes in primo de
medicamentis ferè omnia, & ab alijs conscripta. Cur igitur hæc bis scribere uolui,
cum id facere caueam: quoniā & Archigenē cum alijs scirem præstantiorē in scri-
bendo cōmunia cum proprijs distinctionibus, uidebam et ipsum in multis huius-
modi disciplinā negligere: nunc igit deinceps omnia ferè abstergūt præsidia post
cōtinua serie enarrata, & mitissima & acerrima. Quid enim simile erugo habet cū
lentis rubi & cyperi decocto: quid galla cum adipe anserino & fuillo: etenim æru-
go medicamentum est acre, erodens & uehementer desiccans: rubus autem et cype-
rus & lenticula minimā obtinēt astrictiōnem: ita uero & galla ualidissime astrin-
gens, uim habet cōtrariam adipi fuillo & anserino. Iam scripta sunt mutuò se sub-
sequentia, quemadmodū priora: alia uero quorū meminit, eandem inordinationē
obtinēt. Præstaret, quemadmodum semel in oratione dixit, Hoc etiam ad nomas

ualet; eodem modo de alijs distinguere, adiecto, hoc infantibus aut pueris cōgruit, hoc adultis: et hoc quidē incipiētibus aut mediocribus aphthis, illud uigētibus aut ualidis: multo autem magis uel igneis uel calidis uel frigidioribus potius, & inter igneas, hoc quidē rubicundioribus, illud uero flauescens: siquidem aliā inflammationis naturam, aliā erylipelatis imitantur: quemadmodum rursus quæ non igneæ apparent, pituitosæ omnino sunt, sicut ex inueteratis nōnullæ melancholici humoris malitiam acquirūt. At dignoscantur omnes facile & uisu simul & tactu: uisu sanè per colores, sicut modo à me comprehensum est: siquidem rubentiores, sanguineum præpollere humorem indicant; flauæ magis biliosum: quemadmodū rursus quæ albescunt, pituitosiores: quæ liuent nigricantq̃, melancholicum. Qui enim hæc distinxerit, sciaturq̃ uniuscuiusq̃ simplicis medicamenti uim, ut in ipso doctrina scriptum est, in singulis aphthæ speciebus uti nouerit & simplicibus, & compositis medicamentis, uti frequenter iam à me declaratum est. Iam etiam simul inspiciet corporum naturas, num molles sint & humidæ, ut in pueris, eunuchis, & mulieribus: an duræ & sicæ, sicut in messoribus, nautis, uenatoribus & agricolis: nam ualidioribus corporibus ualidiora adhibebis medicamenta, imbecillioribus molliora. Ego sanè in infantibus quos nutrices educant, lentem cum exiguo pane & medulla ceruina aut uitulina exhibeo: cibo autem misceo etiam mala cotonea, aut alia quæ astringunt, quemadmodum Romæ cestiana dicta, & huiusmodi, pyra, sorba, mespila, & corna: nonnunq̃ lactucam, serim, solanum & portulacam ei-
 bo misceo, cum aphtha igneo seruore urit. Si autem edere nondum queat, alimen-
 tum in huiusmodi instituo, cum proba coctione nimirū. Quinetiam infantes me-
 dicamentis perlino si aphthas perubras uideam: initio sanè ijs quæ leuissime astringunt & refrigerant, deinde autem ijs quæ citra rosionem digerunt. Quod si subflauas, ijsdem quidem, sed magis refrigerantibus: si pituitosiores, astringentibus: si nigrescentes, ijs quæ generosius discutunt. At in maioribus pueris, similibus genere medicamentorum facultatibus utens uim ipsorum augeo: sicut & in adultis durisq̃ corporibus, singulis, quæ dixi, ualidissimis. Satis autem mihi est perpetuò in his uti misy cum uino astringente, uim ipsius intendendo et remittendo. Quòd uero magis aut minus uinum astringit, & quòd crassius aut liquidius medicamentum euadit, ex misyos & uini mistura fit. At si sordida aphtha appareat, cum mulso misy contero: ijs quæ ualidiora quàm quæ ex misy fiunt medicamenta requirunt, ærugo similiter & cum uino & cum mulso utilis existit. Illi autem debent eiusmodi medicamenti nimirum particulæ oris affectæ. Bonum uero ad hæc remedium est chalcitis oleo læuigata. Huiusmodi quidem sunt efficaciam: mediocria autem et præsertim ad incipientes dispositiones, omphacium cum uino & mulso: item rhus similiter. In pueris sufficit etiam rosarum flos, ipsæq̃ rosæ sicæ, & collutiones ex mediocriter astringentibus, in ætate & natura huiusmodi corporū. Breuiter, moderatæ quidem aphthæ, præsertim in teneris corporibus, mediocria desiderant medicamenta. Validæ, & in duris potissimum corporibus, ualidioribus curantur: ualida nimirum dico medicamina quæ ualide astringunt, & uehementer mordent. Cæterum fiunt in his, sicut in alijs affectibus antea dictum est, composita medicamenta, & frequenter ex contrarijs: quale est etiam quod ex oleo & chalcitide preparatur: ipsum etenim per se oleum maxime aphthæ dispositioni aduersatur, sicut & chalcitis: quoniam illud sanè humectat, sordescq̃ parit, chalcitis autē uehementer rodit. At mistura ipsorum cum moderata euaserit, optimū reddit medicamentum. Quemadmodū igitur ex cerato & æruginē carnem generadæ aptum medicamentum fieri ostendebatur, cum ambæ sint carnis generationi contraria, eadem ratione ex oleo & chalcitide idoneum fit medicamentum. Quod si ad putridum degenerauerit, exulcerationes pariet, neq̃ aphtham adhuc affectum nomine

nare cōuenit, neq; huiusmodi dispositiones curantia medicamina ijs quæ aphthis conducunt annumerare, sicut nec ijs quæ erysipelata curant, illa quæ strenuè digerunt particulas quæ ex refrigerantium medicaminum applicatione liuidæ euaserunt, & duræ ex erysipelacea dispositione ad scirrhosam delapsæ. Quapropter etiã nonnulli indistincta huiusmodi scriptura decepti, erysipelatis calida, & quæ digerunt medicamenta, atque aphthis ea quæ ad putredines congruunt adhibentes, non exiguas offensas inferunt.

**CLAVDII GALENI PERGAMENI DE
COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECUN-
dum locos liber septimus, Ioanne Guin-
terio Andernaco interprete.**

De affectibus, qui instrumentis respiratori dicatis accidunt.



Olent recentiores medici nominare arteriacas, non adijcien-
tes, utrum antidotos dicant, an alio significatu: nonnulli ea ecle-
cta, ab eo quod lingi possunt, nuncupant, non addentes medi-
camenta: quidam in totum nullam distinctionem ipsis ascripse-
runt: nonnulli raro apposuerunt, hi ad abscisam uocem, illi gene-
ralius adhuc ad uocem oblaesam: sunt qui ad arteriam exaspera-
ratam, & ad exulceratam scripserunt. Quamobrem bona ra-
tione qui arteriacis medicamentis nominatis indistincte utuntur, interim sanè uoti
cōpotes fiunt, interim uero nihil omnino ægrotates iuuant, sed plurimū offendunt.
Clarum autem omnibus est, quod in huiusmodi affectibus asperam arteriam cau-
sentur. Olim igitur quando non appellabant arterias, quæ cordi similiter pulsant,
de sola quæ ex pulmone in laryngem emergit, arteriæ nomen protulerunt, uenas
omnino appellantes, quemadmodum alias quæ non pulsant, ita & pulsantes. Po-
stea uero ubi appellatio de pulsantibus dici consueuisset, propter æquiuocationem,
asperæ, nomen adijcien-tes, arteriam quæ ex larynge in pulmonem pertinet, nomi-
narunt, sic ut etiam bronchum eam uocitent, quoniam corpora cartilaginosa, quæ
magna ipsius substantiæ portio est, bronchia nuncupant. Cæterum arteriam ipsam
crassa membrana intus succingit, quam nonnulli ob crassitiem, tunicam appellat.
Cum igitur affectus aliquis, uel in hac, uel in musculis, qui in larynge habent, pro-
uenerit, arteriacas uocant, quæ ipsis medentur, non adijcien-tes, ut dixi, antidotos.
Cæterum dissimilia specie facultatibus sunt, quæ ab ipsis scribuntur, ideoq; accidit
ut qui citra distinctionem ipsis utantur, à scopo frequenter aberrant. Quod autem
multa quædam sit differentia eorum quæ medici in libris medicatorijs tradiderunt,
ex tribus exemplis licet tibi condiscere: quorum aliud sanè minime mordax est, et
40 exactè obstruit, aspretudines læuigans: aliud huic contrarium, acrimoniæ morda-
cis non mediocriter particeps, ut si particule ad amullim sanè adhibeatur, eam ex-
asperet: medium uero amborum dictorum est aliud genus medicaminum arteria-
corum, facultatis citra rosionem abstergentis. Itaq; emplasticum est, quod ex pas-
so cretico, gummi, tragacantho & glycyrrhiza præparatur: acre autem ex pipere,
calia, cinamomo, galbano, & resina terebinthina. Medium amborum est ex ptisa-
næ cremore, amygdalis, & fabarum lomento, alijsq; id genus. Intra medium & ex-
trema utriusq; plura sunt medicamenta, alia magis, alia minus à medio digressa, de
quibus deinceps diffiniam, eos qui distinctionem aliquam apposuerint, commen-
dans: illos qui absoluto sermone scripserunt, non recipiens. In medio amborum
consistunt, qui distinctiones parum integras moliti sunt, qualis est etiam eorum